

DISPUTATIO THEOLOGICA,  
*De*  
FESTIS MOBILIBUS,

Quam adjuvante  
IMMOBILI ET IMMUTABILI  
DEO O. M.

CONSENSU VENERANDÆ FACULT. THEOLOGICÆ, IN ILLUSTRIS ACADEMIA PATRIA,

*Ad Annum M DCC. diem Octobr.*  
IN AUDITORIO MAXIMO,

SUB PRÆSIDIO  
VIRI

MAXIME REVERENDI, EXCELLENTISSIMI  
ATQVE AMPLISSIMI  
DOMINI

GODOFREDI WEGNERI,  
S.S. Theol. Doct. Ejusd. Prof. P. Ord.

Concionatoris Aulici Secundarii,  
*Fautoris atq; Præceptoris multis nominibus colendi,*  
*examini publico submittit*

VLADISLAUS HENRICUS Gensichen/

Prussus.

---

REGIOMONTI,

Typis FRIDERICI REUSNERI, SEREN. ELECT. BRAND.  
ET ACAD. TYPOGR. HÆREDUM.

*47* *a. CXXVIII. 34.*

I. diss. A  
3, 34

VIRIS  
NOBILISSIMIS, PLURIMUM REVERENDO atq; DOCTISSIMO,  
SPECTATISSIMIS, MULTA QVE EXPERIENTIA CON-  
SPICUIS DOMINIS,

DN. REINHOLDO Seel/

Perillustris atque Reverendissimi Dni. Ottonis L. B. de  
Schwerin Dominiis Wildenhofensibus per Prussiam præ-  
fecto Burggrabio fidelissimo, Hypothecario Bo-  
norum in Marckienen/ Domino in  
Pilsnen.

DN. JOHANNI EBERHARDO  
Seel/

Ecclesiæ Christi, quæ ipsi in Deyen colligitur,  
Pastori fidelissimo, vigilantissimo.

DN. ERNESTO Gensichen/

Perillustris atque Reverend. Dni. Ottonis L. B. de  
Schwerin in Bonis Wildenhofensibus Rei frumentariæ  
Præfecto maximè fidei.

*Dominis Affinibus atque Patrueli de-  
bita observantia & honore colendis,*

Hanc Disputationem Theologicam de *Festis  
Mobilibus*, cum votò omnigenæ & immobilis feli-  
citatatis atque prosperitatis, & debita gratiarum ac-  
tione pro hæctenus sibi exhibitis beneficiis of-  
ferre, illamque sinceri erga singulos affectus  
signum extare voluit

VLADISLAUS HENRICUS Gensichen/  
Prussus.



דעו  
§. I.



Uemadmodum olim in V. T. DEus O. M. certo loco ab hominibus coli voluit, uti colligimus ex *Deuter. XII. 13. I. Reg. VIII. 2. II. Chron. VII. 12-16.* sic non minus certum etiam tempus ad cultum suum destinavit. Non enim requirit Deus continuum cultum, quemadmodum olim *Psalliani & Euchitæ* somniarunt, qui semper orabant, ut etiam incredibile videretur illis, qui hoc audiebant, teste *Augustino de Heres. ad Quod vult Deum, heres. LVII. T. VI. Op. col. 26.* Deus enim ante omnia tempora, in tempore, certo tempore, intra sex dierum scilicet spatium, mundum hunc ex nihilo produxit, & septimo die ab operibus creationis quievit, & hoc ipso diem hunc septimum sanctificavit, & serio præcepit diem hunc observari, adeò ut nihil frequentius urgeri & diligentius inculcari videas in tota sacra Scriptura, quam quidem hanc ipsam Legem de celebrando septimo die sive Sabbatho confer *Gen. II. 2. 3. Exod. XX. 8. c. XXIII. 12. c. XXXI. 12. seq. c. XXXIV. 21. Levit. XXIII. 3. Num. XV. 32. Deut. V. 12. seq.* Ad id verò hunc diem sanctificavit DEus, ut homines in illo abstineant ab omnibus servilibus operibus, & laboribus, manuariisque artibus, pro victu & amictu conquirendo excogitatis; contra verò quieti se darent, & otio sacro illum transigerent, meditando de operibus & beneficiis DEI, illumque pro his colendo & celebrando. Nec hic dies septimus solus sufficiebat, sed DEus postea Judæis alia tempora quoque & alios dies ordinavit, in quibus cultum sibi debitum exerceri voluit, quorum catalogus exhibetur *Levit. XXIII.* Quod verò Judæi ad mandatum Dei fecerunt, & certos dies, certa que tempora cultui divino destinarunt, id gentes, in quibus etiam scintillæ cognitionis divinæ gliscunt, ex iudicio humano & carnis sapientia itidem fecerunt, & non solum DEos suos in universum, sed certis & statis temporibus atque diebus singulos stultè coluerunt, unde dies apud ipsas institutos legas, quibus sacra faciebant Bacchanalia, Orgia, dies quibus lugebant & plangebant ob raptum *Proserpine*, Casusque *Adonidis*, *Osiridis* & *Bacchi*. Tempus hoc & dies hi, cum apud Judæos, tum apud Ethnicos, cultibus divinis destinati, dicuntur hebraicè quidem דן, quæ vox usurpatur in *Pentateucho* & alibi *Exod. XII. 14. Psalm. XLII. 5.* derivatur verò à radice דנן quæ saltare & tripudiare significat, quod quemadmodum gentes in solennitatibus suis & ludis saltarent,

rent, sic Dei populus spiritu tripudiare, h. e. exultare, gaudere & lætitia animi in festis suis diebus jucundè exerceri deberet. Græcè πανήγυρις, πανήγυρις autem sicut Lexicographi observant, propriè significat publicum cætum, seu conventum, & celebritatem publicam, ut cum die festo, ludis solennibus tota gens aliqua in unum locum olim convenit, quemadmodum in Græcia ludis Olympiacis. Latine Festum, quæ vox apud antiquiores quidem usurpata est, qui festa quasi solenniter letos dies appellarunt Festo teste, idem enim illis fuit festus, a, um, quod letus, a, um; recentiores verò feriarum nomen pro illo usurpare coeperunt, idque vel à feriendis victimis, & pecudibus, quas illis diebus offerebant, vel à ferendis epulis, quæ fiebant ex his pecudum frugumque proventibus, vel à feriendo, quod feriarentur ab operibus consuetis. Germanicè autem dicuntur hi dies cultui sacro destinati Fests / à latinis forsitan mutuato vocabulo, unde venit Fests-Tag / dicuntur etiam Feyertage à feriis, cum verbum feyren idem sit, quod feriari i. e. ab operibus quiescere. Confer. Rodolphus Hospinianus Lib. de Festis Judæor. & Ethnicor. in Prolegom. fol. 1. & 2.

§. II. Non solum verò Judæi & Ethnici suos dies habebant, quibus sacra faciebant, sed & Christiani olim habebant & adhuc habent sua tempora, suos dies, sua festa sacra, quibus Deo cultum suum præstant. Equidem in primitiva Ecclesia paucissima habuerunt festa Christiani: quamvis enim quotidie ferè convenirent, tum ad auditum verbi divini, tam ad preces & celebrationem Sacramentorum, solennia tamen festa, & dies festos primis seculis paucissimos habuerunt, quales fuere Dies Dominica, Pascha & Pentecoste. Diem Dominicam celebrarunt Christiani loco Sabbathi. Cum enim Deus jussisset in V. T. Septimum diem observare, hi exhibito corpore, Christo, cujus umbra fuerunt omnia festa in V. T. se non præcisè ad hunc diem adstrictos esse putantes ex Colos. II. 16. alium diem elegerunt, eum scilicet, in quo Dominus Jesus Christus à mortuis resurrexit; nempe diem Dominicum, vel diem Solis. Dies Dominicus Christianis resurrectione Domini declaratus est, & ex illo cepit habere festivitatem suam: ait Augustin. Epist. CIX. ad Januarium T. II. op. col. 570. Maximus Taurinensis ad denominationem hujus diei, quæ Solis dies dicitur, respiciens inquit: Dominicum diem ideò solennem esse, quia in eo Salvator, velut sol oriens, discussis inferorum tenebris luce resurrectionis emicuerit: Homil. II. de

*II. de Pentecoste.* Num tamen hæc *dies Dominica* statim post ascensionem Christi in cœlos solenniter observari cœperit, hîc non quærimus. Legimus equidem *Actor. XX. 7.* quod Discipuli Christi sive Apostoli convenerint τῆ μιᾷ σαββάτων *una Sabbathorum* ad frangendum panem, ubi *Interpretes* per μιᾷ σαββάτων intelligunt *diem Dominicum*; ipse etiam *Marcus Evangelista*, quem diem μιᾷ σαββάτων nominat *cap. XVI. 2.* illum v. 9. nominat πρώτην σαββάτων, & dicit Christum hac die resurrexisse, qui quidem non alius est, quam *dies Solis*, qui alibi in Scriptura expressè etiam nominatur κωριακὴ ἡμέρα *dies Dominica*, *Apoc. I. 10.* Sed tamen non desunt, qui putant, post *Urbis excidium* demum solenniter introductum esse *diem Dominicum* loco *Sabbathi*. Ab Ecclesia *diem Dominicum* ordinatum esse, non secus ac alios festos dies celebriores, non modò *Apologia* monet p. 152. sed in ipsâ quoq; *Aug. Conf.* art ult. p. 42. 43. res hæc ita declarata fuit. Vid. *B. D. Chemnitius* in *Exam. C. Trid. P. IV. de diebus festis* p. 151. *B. Carpzovius* in *Isag.* p. 320. &c. Confer. *Excellentissimus D. D. Phil. Jac. Hartmann, Histor. Prof. Publ. dignissimus, Fautor atque Præceptor honoratissimus Comment. de Rebus Gestis sub Apostolis c. XVI. p. 383. seq.* *Pascha* etiam celebrarunt primi *Christiani*, non tamen in memoriam transitus Angeli in *Ægypto*, sed resurrectionis Domini, & nihilominus retinuerunt vocabulum *Paschatos*; vel quia agnus à *Judæis* in *Paschate* mactatus, fuit Typus Christi, qui eo tempore pro salute mundi occisus, vel quia illo ipso tempore ex hoc mundo transit ad Patrem *Joh. XIII. 1.* *Pentecostes* festum quoque celebrarunt. Equidem *Polydorus Vergilius Lib. VI. cap. 8. de Invent. Rerum. p. m. 524. seq.* *Pentecostes* festum & alia ejusmodi, quæ posterioribus tamen demum temporibus in usu esse cœperunt, ad *Apostolorum* usq; tempora extendit, & locum *Actor. XX. 16.* de *Christianorum Pentecoste* exponit; sed ipsi non subscribimus, & sufficit nobis *Pentecostes* festum satis antiquum esse, & primis seculis usitatum ex eo monstrasse, quod mentionē ejus expressè jam faciant *Tertullianus de Coronâ militis, c. 3. T. II. opp. p. 341.* *Origenes Lib. VIII. contra Celsum, Hieronymus Epist. 54. ad Marcellam. Adversus Montanum T. II. op. p. 414.* Habent verò *Christiani* adhuc alia etiam festa, quæ progressu temporis celebrari cœperunt, ut *Festum Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Annunciationis Mariæ, Visitationis Mariæ, Corporis Christi*, & quæ plura alia sunt. Quoniam verò hæc festa & hi dies festi aliam atq; aliam obtinent rationem,

cùm respectu *Autorum*, qui illa ordinarunt, tùm respectu *sui ipsius*, tùm etiam respectu temporis, quo celebrantur, orta est distinctio festorum, ut alia sint *Apostolica*, ut *dies Dominicus*, alia *Ecclesiastica*, ut *festum Nativitatis Domini*, & hæc rursus vel *Universalia* i. e. talia, quæ ab Universo Christianitatis cœtu celebrantur, vel etiam maxima ejus parte, qualia sunt *Festum Nativitatis Domini*, *Epiphania*, *Pascha*, *Pentecoste*, &c. alia *particularia*, quæ non ab universa Christianorum multitudine, sed tantum à quibusdam celebrantur, ut à *Pontificiis*; quale festum est *Festum Corporis Christi*, *Præsentationis Mariæ* (illud scilicet festum quod olim celebratum est die 21. Decembr. in memoriam ejus, quod *Mariæ* ex *Anna Matre* sua sterili nata triennis absque ducta ascenderit per 15. gradus templi, aliàs enim *præsentationis Mariæ* festum etiam illud dicitur quod communiter audit *Purificatio Mariæ*. Confer. *Hospinian. de Fest. Christian. f. 147.*) *Cathedræ Petri* &c. ad *particularia* referres etiam illa festa, quæ in aliqua *Provincia* tantum celebrantur, quale apud nos *Prussos* est *Festum Eucharisticum Preußisch Danck-Fest d. 3. Maji*, quod nullibi locorum aliàs celebratur, quam hic in sola *Prussia*, propterea, quoniam anno sexagesimo hujus seculi *d. 3. Maji* in *Monasterio Olivensi* prope *Gedanum*, *Polonum* inter, *Regem Sueciæ*, & *Electorem Brandenburgicum FRIDERICUM WILHELMUM gloriosæ memoriæ*, Pax stabilita est post cruenta bella & dissidia, & simul statutum, ut anniversariò, hac ipsa die, Festum solenniter celebretur, & DEO gratiæ dicerentur pro exhibito hoc insigni Pacis beneficio. Præter hanc distinctionem datur adhuc alia, respectu scilicet *temporis*, quo celebrantur, ut alia sint *mobilia*, alia *immobilia*. *Immobilia* sive *fixa* sunt illa festa, quæ quotannis quidem alio atque alio die septimanæ celebrantur, eodem tamen semper mensis die, ut festum *Nativitatis Domini* die 25. Decembr. (obiter notetur quod de *Nativitatis Domini* die variæ sententiæ olim in Ecclesia extiterint, quibusdam natum prodentibus 6. *Januarii*, quibusdam 19. *Aprilis*, aliis 19. *Maji*, nonnullis mense *Septembri* sicut animadvertit *Isaacus Casaubonus* in *Animadversion. contra Baronium Exerc. XXV.* adeò verum est quod habet *Joachimus Camerarius* in *Chronolog. Nicephori*, in tribus homines non possunt concordare, in *Anatomia, CHRONOLOGIA, & Botanica* apud *Georg. Horn. in Histor. Natural. Lib. III. c. 8. p. m. 175.*) *Festum Epiphaniæ d. 6. Jan.* *Purificatio Mariæ d. 2. Febr.* & omnia reliqua festa *Apostolorum*. *Mobilia* verò sunt, quæ eodem septimanæ die celebrantur, sed tamen non eodem die mensis, qua-

qua-

quale festum est *Pascha*, *Pentecoste*, *Ascensio Domini* & alia quæ à festo *Paschatos* ordinantur, tale festum quoque ipse est *dies Dominicus*. Adeoque festa *immobilia* dependent à *mensibus solaribus*, & fixam suam sedem quotannis retinent, *mobilia* verò præter *solares menses* etiam *lunares* requirunt, quoniam non solum *Æquinoctium Vernum* in eis attendendum venit, quod ex motu *solis* cognoscitur, sed etiam *Luna 14*, quæ à motu *Lunæ* dependet; ratio verò quare  *festa mobilia* non habeant fixam sedem in *Calendario*, hæc est, quoniam *pascha celebrari semper debet die Dominico*, una verò & eadem *litera* in *Calendario* non denotat semper *diem Dominicum*, non potuit ergo *Pascha*, nec cætera  *festa Mobilia*, habere certum locum in *Calendario*: inquit *Johannes de S. Busto* in *Lib. de Anni ratione seu Computo Ecclesiastico cap. de festis Mobilibus*. Unde patet, quod *Festum Paschatos* basis & fundamentum reliquorum *mobilium* sit, utpote à quo cætera  *festa Mobilia* dependent.

§. III. Quoniam itaque *Pascha* (*Paschatos* Vocabulo in eo sumto significatu, quo festum ipsum denotatur ut *Matth. XXVI. 2.* multiplicem enim vox hæc aliàs involvit significationem, quam vide in *Lexico Universali Joh. Jac. Hoffmanni* sub voce *Pascha*) utramque quod ajunt nobis paginam hic faciat, operæ pretium esse censemus, ut illud à primis principiis accuratius repetamus. Scilicet cum olim populum *Israëliticum* *Ægyptii* nimis duris exercerent laboribus, propterea quod nimium quantum multiplicatus esset, & Deus illum potenti manu, magnaque vi educere vellet, post varias plagas, quibus *Ægyptios* affligebat, etiam hanc ultimam, sed maximam addebat, ut per Angelum perditorem, omnes omninò *Ægyptiorum* primogenitos occideret, à qua plaga, ut & à reliquis, cum liberi essent *Judæi*, per sanguinem agni occisi postibus *januarum* illitum, cujus carnem antè manducaverant, voluit Deus, ut in memoriam hujus rei annuatim festum celebrent, in eo agnum mactent, manducent, & res circa manducationem primi gestas, suis narrent confer. *Exod. XII. 17. 24.* Accuratum autem de hoc festo *ἀμνοφάγια* s. *Paschatos*, quod nominis ipse Deus illi dedit, celebrando, Deus præceptum dedit eodem in loco *Exod. XII.* ex quo totam rem in compendio sic sistimus. Hic primus mensis vobis principium est mensium, primus ille esto vobis inter menses ejusque anni, & in ipso decimo die mensis hujus, accipiat sibi quisque parvam pecudem, pro familia paterna, parva pecus integra, mascula, annicula esto vobis, sitque apud vos in custodia, usque ad decimum

quar-

tum diem hujus mensis, quo jugulabunt eam totus cætus congregatio-  
nis Israelis, inter duas Vesperas, deinde accipientes ex ipsius sanguine  
imponent duobus postibus, & superliminari in domibus illis, in qui-  
bus esuri sunt ipsam, comedent verò carnem illius ea ipsa nocte; eam as-  
sam igne & azymos panes cum herbis amaris comedunt. Ne comeda-  
tis ex ea crudum quicquam, aut coctile coctum in aqua, sed assum igne,  
caput ejus cum cruribus ejus, & cum intestinis ejus. Neque reliquum  
faciatis ex ea quicquam in matutinum usque, quod autem reliquum  
fuerit ex ea usque mane, igne comburite. Ita verò comedite eam, lumbis  
vestris succinctis calceamentis vestris ad pedes vestros, & baculo vestro in  
manu vestra, sed comedetis eam cum festinatione, Pascha est Jehovæ. H. I.  
In quibus verbis cum varias ceremonias in celebratione Paschatis olim obser-  
vatas videamus, de cæteris hic non adeò solliciti erimus, cum illas ex Talmudi-  
cis Constitutionibus valdè illustres nobis reddiderit Johannes Lightfoot in Ho-  
ris Hebraicis & Talmudicis in Evang. Matthæum ad illud cap. XXVI. 9.  
ἡρώδης αὐτῶν τὸ πιάρα p. 289. seq. & parum nostro instituto inservire vide-  
antur, accuratioribus tamen & prolixioribus futuri in circumstantia temporis  
evolvenda, quo scilicet Judæi Pascha suum ad mandatum Dei celebrare de-  
buerunt, id quod in primis nostro negotio lucem foenerare posse confidi-  
mus.

§. IV. Quod ergò Tempus concernit, quo Judæi Pascha celebra-  
runt, triplicem in primis temporis circumstantiam observamus primum  
mensem, Lunam decimam quartam, & spatium inter duas Vesperas.  
Notum est, discrepare Autores de anno Hebræorum & ordine mensium:  
sunt enim, qui statuunt, Judæos olim anni sui initium fecisse, non à mense  
Nisan, sed à mense Tisri sive Ethanim, qui in autumnum incidit; hoc  
verò tempus nullum aliud est quam æquinoctium autumnale: consenti-  
unt hac in re Scaliger Lib. 5. de Emend. Temp. p. 368. Sethus Calvisius in  
Isagoge Chronolog. P. IV. c. 34. p. 185. seq. & c. confer. quoque Exercitat.  
M. Isingii in Pentateuchum Diss. 1. quest. 1. & M. Alberti Linemanni De-  
licias Calendariographicas ad Ann. 1649. quest. 7. Hinc etiam in Talmu-  
de Parte II. Tractatu VIII. Rosch Haschanna s. de Principio Anni statim  
ab initio dicitur: Quatuor sunt anni Principia, prima die mensis Nisan  
seu Martii est novus Annus Regum & festorum. Prima die Elul seu  
Augusti Novilunio, novus est annus pecoris decimandi. Prima die  
Tisri seu Septembris Novilunio novus est annus annorum, Anni nempe  
dimis-



dimissionis, Jubilæi, Plantationis omnium arborum & plantarum. Primo die Sabbat h.e. Novilunio undecimo novus est annus arborum. H.T. Allegante Job. Buxtorfiô in Synagoga Judaica c. XVIII. p. 384. Unde patet juxta hos, Judæos habuisse duplicem annum, Politicum, Civilem si-ve Oeconomicum alterum, alterum Ecclesiasticum, Sacrum vel Historicum, adeoque etiam duplicem mensem primum. Alii tamen geminum illum annum Hebræorum Ecclesiasticum & Politicum rejiciunt, inter quos B. Lutherus in Genes. c. 7. & D. Calovius in Chron. Bibl. sect. 1. de epoch. q. 5. p. 58. ubi hanc rem satis accuratè tractat atque definit. Nos hac vice nolumus inter tantos Viros arbitri esse; sufficit enim nobis de Mense sollicitis, ipsum fuisse primum Anni à Deo constituti vernalem, quem alii ob initium festorum inde sumtum annum Ecclesiasticum appellant, testimonio Josephi lib. 1. Hist. Jud. c. 5. adducti. Ordiebantur enim Hebræi annum suum Ecclesiasticum, (imò & Politicum juxta Luther. & Calov.) ejusque mensem primum ex mandato Dei à Novilunio, quod Verno Æquinoctio erat proximum, hac ratione, ut illud Novilunium perpetuò anni initium præberet, quod vel præcedebat proximè diem Æquinoctii Verni, vel præcisè incidebat, vel proximè sequebatur. Equidem in Scriptura sacra Æquinoctii non fit mentio, interim tamen ab omnibus scriptoribus, qui aliquid de Paschatos festo literis consignarunt, tanquam notissimum supponitur, imprimis cum ex antiquis facilè id possit probari Autoribus. Sic enim Josephus Lib. III. Antiquit. cap. 10. Sigismundo Gelenio Interprete, scribit pag. 75. Mense autem Xantico, qui nostris Nisan vocatur & annum exorditur, Luna 14. Sole arietem obtinente, quandoquidem hoc mense ab Ægyptiaca servitute liberati sumus, sacrificium, quod tunc exeuntes fecisse diximus, Pascha nominatum, quotannis instaurare lege jubemur. H. I. Et Philo Judæus Lib. III. de Vita Mo- sis inquit, primum anni mensem facit eam, qui in Æquinoctium Vernum incidit. Conf. M. Petri Crügeri Diatribe Paschalis Part. I. c. I. Prop. 3. p. 6. Propterea observarunt M. David Origanus Introduct. in Ephemerides P. I. c. 4. & Josephus Scaliger in Judaicum Calendarium Canonum Isa- gogicorum Lib. I. c. 6. quod tria festa Principalia Judæorum, circa præci- puos anni tropos si-ve conversiones fuerint celebrata, Pascha circa equi- noctium Vernum, Pentecoste circa Solstitium æstivum, Scenopegia circa æquinoctium autumnale. Conf. Andr. Lindemuths Chronolog. de Terminò Paschali Can. 5. p. 46. Accuratè itaque observare opus habuerunt Hebræi

*cursum Solis pariter atque Lunæ, Solis, ut reditum ejus ad idem punctum Vernalis Æquinoctii, tanquam certissimum limitem cognoscerent, Lunæ, ut primum post æquinoctium Plenilunium Paschatos terminum scirent. Quoniam verò Lunæ periodus per integrum annum à Solis periodo undecim ferè dierum spatio deficit, adeoque primus mensis & dies Paschatos ante æquinoctium contingere possent, imò si semper undecim hi dies omittentur, per omnes partes anni vagarentur, & quandoque in æstatem, aliàs in hyemem, nonnunquam in autumnum inciderent, ex mandato tamen divino obligabantur post æquinoctium, vel ad minimum ipso æquinoctio die celebrare Pascha, certa ratione defectum hunc Luminum supplebant & intercalatione II. dierum cavebant (quos tertio aut secundo anno pro re nata in unum mensem contractos certo modo inserebant, reliquis qui supererant diebus, ad octavum usque annum servatis) ut hoc ipso æquinoctia annique initium & primus mensis ad pristinas suas sedes exactè revocarentur, quod ipsum Ebraicarum rerum peritissimus Epiphanius *Serm. 51. contra Alogos Lib. 2. Tom. 1. opp. p. m. 448. sqq.* accuratè observat. confer. *Johannis Garcei Tractatus de tempore Canon. IV. p. m. 13. 14.**

§. V. Jam consideranda venit *dies 14. primi mensis.* Jussit enim Deus Israëliticum populum, ut *decimo die primi mensis* quidem agnum separarent à grege, *decima quarta* tamen demum die illum affarent, & in comestione ejus Pascha celebrarent. Incipiebat autem annus, ejusque mensis primus à Novilunio, quod ingressui ☉ in ♃, sive æquinoctio verno proximum erat, ut §. præced. ostensum, & cum Novilunium à nemine observari possit, sed secunda ad minimum die post, se oculis usurpandum demum præbeat, quæritur, *an mensis primus ejusque dies 14. numeratus sit à Synodo sive conjunctione Luminarium* (qua ratione nos Novilunia numeramus in Calendariis nostris) *an verò à die ista, qua primum videri potuit post conjunctionem Luna, sive à prima Phasi?* Ad quam quæstionem ut respondeamus, dicimus, Judæos quidem aliàs exactum habuisse computum Lunarem, in celebrandis tamen Neomeniis, & festis aliis, ex antiquo more & consuetudine, mensem incepisse non à conjunctione Luminarium ipsa, sed à *primâ phasi* sive à *prima apparitione*, id quod nos edocet *Talmud Babylonicum*, in quo dicitur, quod à *Synedrio* Viri probatæ & indubiæ fidei constituti sint, ad id, ut montana in Judæa sita conscenderent maturè, & ad *primam phasin* sive *primam apparitionem* Lunæ post Novilunium accuratissimè attenderent, & quam-  
pri-

primum Lunam post Novilunium conspexerint Synedrii Assessores illud deferrent, qui deinde exclamare jusserunt **מקדש מקדש**, & tunc quoque Neomenia tubarum signo denunciata est. Confer. Num. X. 10. *Sebastianus Münsterus in Calendario Ebraico p. 61.* Clarissimè omnia hæc proponit *Dionysius Petavius doctissimus Jesuita*, cujus verba integra etiam adscribere non pigrabimur, ex ejus Animadversionibus ad Epiphaniæ hæresin 51. Alogorum Tom. II. opp. m. p. 151. *Duplex in Hebræorum Commentariis civilibus anni ratio traditur, utraque Lunaris - Prima stante adhuc templo usitata fuit, qua Neomeniam  $\Delta\pi\acute{o}\ \tau\eta\varsigma\ \Phi\acute{\alpha}\sigma\epsilon\ \Theta$  indicabant, quod in hunc modum fiebat. Erat apud Judæos Beth Din sive  $\sigma\upsilon\acute{\epsilon}\delta\epsilon\lambda\omicron\nu$ , penes quod instituendarum Neomeniarum potestas residebat, quam  $\text{קביעה}$  determinationem vocant - - Toto illo tempore  $\Delta\pi\acute{o}\ \tau\eta\varsigma\ \Phi\acute{\alpha}\sigma\epsilon\ \Theta$  atque ex Israelitici Confessus præscripto Neomenias ordinabant. Quarum quidem constituendarum ea disciplina fuit. Veros & accuratos Lunæ motus, atque ut loquuntur  $\text{ברקדוק}$ , ex Astronomicis tabulis Confessus ille diligentissimè scrutabatur, explorabatque, num Luna suo tempore videndam se præberet; nimirum tricesima nocte, ut in eam  $\Phi\acute{\alpha}\sigma\iota\varsigma$  incideret sive prima accensio, quam  $\text{ראור}$  vocant. Ac si intuendæ illius copiam forte cognoscerent, speculatores opponebant, qui statim ac nascentem Lunam perspexerant, Concilio renunciabant. Sed in testium delectu morosa ac superstitiosa diligentia opus erat, quam aliquot capp. Talmudici Autores explicant. Ubi de visione convenerat, tum Legati passim dimittebantur, qui futuram Neomeniam  $\text{קביעה}$  denunciarent. Quod si 30. die testis nullus ac speculator adfuisset, tricesimo primo Neomeniam desiniebant. Ita fiebat, ut plenorum cavorumque mensium successio nequaquam constaret, sed ut civiles menses ad sideris aspectum dirigerentur, ut cap. VII. Glossa docet. H. I. Adducit hæc testimonia quoque *M. Petrus Crügerus in Diatribe Paschali Prop. IV. p. 7. seq.* ubi insimul Objectiones contra hanc sententiam *Serarii in cap. 5. Jos. Quest. 27. Scaligeri Isagogicorum Chronologia Canonum p. 266. & p. 100. de Emendat. Temp.* solvit, quæ utique legi merentur, inprimis *Propos. V. p. 11.* ubi ex Astronomia luculentissimè demonstrat, Novilunium Paschale à vera Conjunctione post 24. horas videri posse, quamvis alia Novilunia fortè vix die tertia à Conjunctione observari possint. Cum itaque primus mensis inceperit à Novilunio non exactè in jugo constituto,*

sed à prima apparitione, dies hujus primi mensis itidem sic erunt numerandi. Notum autem est, Judæos dies suos incipere à præcedente Vespera ad Vesperam aliam, propterea quod *Genes. c. I.* sic numerentur dies, & *Moses* dicat: *factum est vespere & mane dies unus*, quod ipsum etiam vel notissimi hi versiculi indicant:

*Græci mane diem capiebant solis ab ortu,  
Vespere Judæi, scrutantes sidera Cœli.  
Cum sol in medio splendet nitidissimus axe  
Christicolæ incipunt medio de tempore noctis.*

Dies igitur primus primi mensis incipit Vesperi, post primam apparitionem Lunæ post Novilunium, & per consequens, dies 14. destinatus Paschati erit 15, nonnunquam etiam, quando illæ horæ ante Vesperam pro die connumerantur, 16. post veram Conjunctionem Solis & Lunæ; & cum constet die 15. communiter, nonnunquam etiam 16. post Synodum Plenilunium incidere, ulterius concluditur, *Judæos in ipso Plenilunio, vel ad minimum proxima Vespera ante Plenilunium Pascha celebrasse*, id quod rationibus & testimoniis doctissime laudatus *Crügerus p. 15. c. l.* probat. Ex quibus omnibus tandem inferimus, *Judæos Pascha celebrasse post æquinoctium, sive ingressum ☉ in ♋, mense primo in ipso Plenilunio.* Quod si verò quispiam contra hanc nostram assertionem diceret, nullius *Plenilunii* fieri mentionem in præscripto Dei, quomodo Pascha celebrandum *Exod. XII.* ipsi respondemus, & nullius *æquinoctii* mentionem fieri, nihilominus tamen observandum illud esse, ex probatis Autoribus antea audivimus, scilicet utrumque & *Æquinoctium & Plenilunium* in Paschate celebrando observandum, quod utrumque etiam exprimit *Venerabilis Beda*, cujus Verba ex *c. 59. de Rat. Tempor.* hæc sunt: *Quod si quis objecerit, non æquinoctii memoriam, sed tantum primi mensis & tertiæ in eo septimane posuisse legiferum; sciat, quia etiam si æquinoctium nominatim non exprimit, hoc tamen ipso, quod à Plenilunio primi mensis Pascha faciendum præcipit, æquinoctii transcensum plenaria ratione depromit, quoniam absque ulla dubietate constat eam, quæ prima transito æquinoctio plenum suum globum ostendit primi mensis existere Lunam.* H. B. Tertiam nunc etiam temporis celebrandi Pascha circumstantiam, paucis attingamus, ut eò clarior evadat nostra sententia, quod dies 14. *εἰς πλάτφ* saltem sit intelligenda *Exod. XII.* cum potius sit dies 14. completa vel dies 15. Paschati destinata. Textus Hebræus

*breus* hanc temporis circumstantiam hac locutione exprimit בין הערבים *inter duas Vesperas*, quæritur, quid per hanc locutionem intelligendum? *Judei* atque hosinter *R. Aben-Ezra* in locum *Exod. XVI. 12.* intelligunt per duas vespas tempus illud, quod intercipitur inter Occasum solis & illud tempus, quo definit jam rubere sol, sic enim inquit: *Una Vespera est Solis tempus, quo declinat Sol, alter est Luminis, quo Splendor sive irradiatio illa definit, quæ post occasum in nubibus aliquandiu apparet.* Sed hæc explicatio quidem fortè propterea locum inveniet nullum, quoniam nimis angustum esset spatium, tam multas ceremonias in mactando agno adhiberi solitas observare. *Scaliger* (at *quantus Vir!*) per duas Vesperas intelligi vult spatium ab hora 9. ad horam 11. Judæorum, sive ab hora 3. ad horam 5. pomeridianam nostro stylo, in *Lib. 6. de Emendat. Tempor.* & hæc sententia quoque est *Josephi* (eximia & rare tum diligentia tum fidei Historici, & cui magis adhuc estimatio deberetur, siquidem temporum & librariorum injuriis minus obnoxius fuisset, & purus atque integer ad manus nostras pervenisset, sicuti de eo judicat *Fridericus Spanheimius* P. 2. Dub. 2. §. 2. *Dubior. Evangel.*) *Lib. VII. de Bello Judaico* c. 17. *Conf.* quoque hac de re *J. Buxtorfii Lexicon Hebraicum & Chaldaicum ad vocem ערב*. Cum itaque constet, mactandum fuisse agnum in fine diei 14, sequitur, quod nox illa in qua comedere Pascha debebant Judæi, jam pertinuerit ad diem sequentem 15. Digna proin judicamus verba *Masii Commentar. in Josuam* p. 90. quæ hic adscribamus: *Sic ergò statuendum est, Vesperam & inter duas Vesperas illud dici tempus, quo nondum quidem è nostro orbe finiente excessit Sol, sed tamen inclinatissimus prope ab occasu abest, agnumque Paschalem mactari solere die quidem 14, sed ejus extrema parte, cum autem mactatus jam deinde esset assandus cœnaque comparanda, noctem intereà advenisse, quæ ad diem 15. pertineret. Itaque in epulo accubuisse omnes ea nocte, quæ lucem diei 15. cui præcederet, ejus diei pars esse censebatur.* H. M.

§. VI. Hæ fuère Ceremoniæ, & hæ temporis circumstantiæ, quas Judæi ad mandatum Dei in celebratione Paschatis observare debuerunt, si tamen hodiernorum Judæorum ritus æque ac temporis circumstantiam exequiamur, longè aliam faciem deprehendemus. Quoniam enim ὀπιερφεγεῖν, sed ἀπερ γεαφῆς, sapere voluerunt, *Rabbinorum* sitorum præcepta Legibus divinis si non prætulerunt, saltem æquipararunt, in tantos errores etiam circa hæc inciderunt, ut de illis obtineat, quod di-

cit *Apostolus*: Propterea quod amorem Veritatis non receperunt, ut salvi fierent: ideo mittet eis DEUS efficaciam erroris, ut credant mendacio: ut damnentur omnes, qui non crediderint Veritati, sed acquieverint in injustitia II. *Thessal.* II. 10. 11. 12. Postquam enim Templum Hierosolymitanum & tota Hierosolyma funditus eversa sunt, ipsique Judæi tanquam individuum vagum ubivis terrarum oberrant, non possunt eodem, quo olim comedere Pascha modo juxta *Deut.* XVI. 5. 6. sed alio prorsus multumque diverso à priori, quem descripsit plenius J. *Buxtorfius in Synagoga Judaica* c. XVI. & XVIII. p. 387. seqq. ex quo ceremonias illas strictim exponemus. Triginta dies ante, triticum sibi prospiciunt ad azyma; duobus ad minimum, vel tribus diebus ante Pascha, omnia vasa, omnemque domesticam suppellectilem purgare incipiunt; nocte ante Paschatis pervigilium incipit inquisitio fermenti, post haustam pro azymis aquam, quam studiosissimè ad candelas (non tamen sebaceas) instituunt; manè pridie Paschatis azymas placentas conficere incipiunt, quas Paschatis festo durante comedunt. Pridie Paschatos sub Vesperam in Scholam se conferunt, & cantionibus & precibus cultu divino defunguntur, interim domi mulieres mensas pro unius cujusque facultatibus honorificè sternunt; sera demum, non citius, nocte è Schola demum festinant, & ubi apposita omnia, ocius accumbunt, & singulis tum junioribus tum senioribus, etiam infantibus in cunis vagientibus, scyphus vini infunditur, & ubi accubuerunt, Paterfamilias primum scyphum Vini consecrat, quo exhausto veniunt ad acetarium (embamma); postea Paterfamilias mediam placentam è patina in duo dividit, armum (loco agni Paschalis) deinde ac ovum mensæ apponunt, & secundum scyphum implent, & filius interrogat Patrem, quantum differat nox hæc ab aliis omnibus noctibus? Longum deinde satis de liberatione ex Ægypto decantant hymnum, deinde secundæ placentæ benedicit, tandem etiam tertæ, & ita actus præparatorius ad Paschatis legitimam celebrationem explicit, & tunc demum verè cœnare incipiunt, quicquid ipsis Dei beneficentia & liberalitas concessit, edentes hilaresque & bono animo & in mediam ferè noctem strenuè epulantes: rursus tertius Scyphus cuique infunditur, & gratiis actis, quartus quoque consecratur, ad quod quartum poculum absolvunt recitationem Hallel seu hymni, ad quietem postea se conferunt, & non opus habent DEUM orare, ut ipsos à Spiritibus malignis conservet, quia hæc Nox appellatur Nox Custodiarum in Exodo, creduntque se hac nocte ab omni etiam hominum injuria tu-

tos,

ros, unde fores per totam noctem apertas relinquunt, & sperant Eliam venturum, & illos ex miseria liberaturum. Ecce! quam vana multa in ritibus hisce suis ad celebrationem Paschæ pertinentibus adhibeant, nec minus videasidem in circumstantia temporis observari. Quoniam enim extra Palæstinam constituti occasione ista destituuntur, ut ad Novilunium ejusque primam phasim accuratè attendere possint, festa sua, adeoque etiam Pascha suum, celebrant duobus diebus continuis, ut si unus Legi non conveniat, alter tamen congruat, *confer. Buxtorfius in Synagoga Judaica c. XIX. p. 430.* Nec hoc saltem suffecit, sed etiam eò audaciæ processerunt, ut contra mandatum divinum *Canonem* quendam constituerint, quem  $\aleph$  *BadV* appellant, secundum quem festa, & Pascha imprimis, non celebranda sunt *die Lunæ* sive feria secundâ; *die Mercurii* sive feria quartâ, & *die Veneris* sive feria sextâ: Vide *Calend. Hebræum Sebastiani Münsteri* Basil. 1527. p. 128.  $\beth$  enim feriam 2,  $\gamma$  feriam 4,  $\delta$  feriam 6. denotat. *Feria Sexta* verò non celebratur Pascha, ne scilicet duo festa concurrant, Pascha & Sabbathum, adeoque nec ciborum nec mortuorum rationem habere possent. Sic enim *RR. Non facimus duo Sabbatha continua, propter olera & mortuos.* In *feria secunda & quarta* alia obtinet ratio, quam tamen hic dare nolumus, propter brevitatem nobis præscriptam, sed legenda ea erit in sequenti citando *Discursu Pauli Burgensis.*

§. VII. Nec mirum, hodiernos Judæos, dies alios in celebrando Paschate, quam ut ipsis præceptum erat, à Deo per Mosen *Exod. XII.* observare, cum illud jam frante adhuc templo secundo apud illos viguerit. Nimirum jam tempore passionis *Jesu Christi Salvatoris nostri* recesserant Judæi ab instituto, & lege divina Pascha celebrandi, cum Christus celebraverit Pascha verum, legitimum & memoriale, tempore divinitus instituto; Judæi verò tempore à Magistris suis ipsis præscripto, adeoque *alio atque alio die, Christus & Judæi Pascha celebrarunt.* Triplex verò se offert Doctorum hac de re sententia. I. Aliqui dicunt cum *Græcis & hodiernis Occidentalibus, Christum cum Discipulis comedisse Pascha feria quinta, Judæos verò feria sexta.* II. Quidam dicunt, *Christum quidem comedisse agnum Paschalem cum Judæis feria sexta, Christum tamen post occasum Solis feria quintæ, Judæos verò paulo ante occasum Solis feria septimæ.* Hanc sententiam sibi elegit *B. M. Andreas Concius, Mathematicum olim hic Professor Publicus celeberrimus, in Nodo 4. circum-*

*circumstantiarum circa Passionem Domini, circumstant. 3. §. 11. sequent.*  
 Illa verò prior sententia hisce, ab Autoribus illius, confirmatur argumentis:  
 (α) quia Johannes dicit, Judæos non ingressos esse Prætorium, ne contaminarentur, sed *comederent Pascha c. XVIII. 28. & c. XIX. 14. 31.* inquit, quando Christus crucifixus est, fuisse *Parasceven Paschæ.* (β) Quod si Judæi tunc etiam jam celebrassent Pascha, fuisset 15. *Nisan feria sexta* adeoque *ἀρεσκατῶς*, ergò non potuisset Christus accusari, damnari & crucifigi. (γ) Quia sequens *feria septima* dicitur à Johanne *c. XIX. 31. Sabbathum magnum*, nullâ alia ex ratione, quam quia in eam incidebant *duæ festivitates Sabbathi & Paschalis.* Confer B. Gerhardum in *Harmon. Evang. in Historiam de Passione Christi p. 214. 215.* Alexandrum Rossæum in *Der ganzen Welt Religionen Sect. I. p. m. 24.* Est verò hæc sententia Maldonati, Petavii, Osiandri, Calovii, Tarnovii, Calvisii, Scaligeri. Inprimis Pauli Cardinalis de S. Maria vulgò *Burgensis* (dicti à loco, in quò fuit *Episcopus*, tempore *Wenceslai* Imperatoris, non tamen in *Flandriâ*, ut vult *Gilbertus Genebrardus Theolog. Parisiens.* in *Chronolog.* notatus propterea etiam à Johanne *Drusio* in *notis ad 3. Elohim Tom. VI. Critic. Sacror. pag. 2130. Edit. Francof. ad Mœn. 1696.* cum antiquis temporibus ibi nullus fuerit *Episcopus*, sed in *Hispaniâ*) *Archicancellarii Johannis Regis Castellæ & Legionis, ex Judæo Christiani, in Discursu de Paschatis αὐρωσπις à Christo & Judæis instituta celebratione*, quem notis illustratum edidit anno 1615. *Johannes Benmius, Vir Orthodoxus, omni nostrâ laude major, quia & de Ecclesia & Academia nostra optimè meritus.*

§. VIII. Huic utrique sententiæ contraria est tertia, quæ statuit, *Christum & Judæos feria quinta simul, & eodem tempore Pascha celebrasse.* Sententiæ hujus Patroni, qui sunt *Tostatus, Cornelius à Lapide*, è nostris *Brochmand* in *System. de A.P. p. 442. seq. alii*, rationes has habent. I. *Matthæus, Marcus, Lucas Evangelistæ* dicunt, quod *Discipuli* primo die *Azymorum* accesserint ad *Christum* & interrogaverint, ubinam voverit *Pascha* comedere, & addit *Lucas*, quod *necesse* fuerit eo die occidi *Pascha*; jam verò hic dies primus *Azymorum* non erat privatâ autoritate institutus, sed totum populum ex mandato divino obligabat, ideoque & ille & *Christus* simul comederunt *Pascha.* II. Obligabantur *Judæi* ex præscripto divino, ut *Pascha* celebrarent die 14, hæc verò non alia poterat esse

esse



esse Christo, alia Judæis, Ergò simul comederunt. III. Si Christus non simul comedisset Pascha cum Judæis, illi hoc ipsi non concessissent; non enim sufficiebat agnum mactare, assare & comedere, sed multis opus erat actibus præparatoriis, quod si igitur voluissent Discipuli ejus cum agno Paschali tales Ceremonias observare, Judæi illos in templum non intromisissent. Imò sic anticipasset Christus in celebrando Paschate, Judæi nullis falsis accusationibus & aliis criminationibus opus habuissent, sed illum, quod legem de Paschate transgressus fuisset, accusassent, quod tamen non factum. Ergò Christus cum Judæis simul comedit Pascha. His pro sua sententia allegatis rationibus subjungunt etiam exceptiones ad prioris sententiæ argumenta, & quidem ad rationem (a) dicunt, per Pascha apud Johannem non intelligi Agnum Paschalem, sed Chagigab: confer. Deut. XVI. 16. ad (γ) quando Johannes Sabbathi magni mentionem facit, regerunt, quamvis Scriptura Sacra Sabbathum magnum nominet, tantum tamen abesse, ut præcisè illud de die septimo intelligendum sit, ut potius cuilibet feriæ septimanæ id nominis tribuatur Job. XX, 1. Luc. XVIII. 12. imprimis cum observet Bonaventura Cornelius Bertramus in Lucubrationibus Franktall. quas edidit Theodoricus Hackspanius c. VII. p. m. 98. quod omnia solennia festa, ipsius etiam Paschatis primus & ultimus dies nomine Sabbathi veniat. Sed nec Patronis prioris sententiæ responsiones ad has rationes & exceptiones desunt. Scilicet ad I. rationem dicunt, diem azymorum appellari ab Apostolis diem illum, qua Christus celebravit Pascha, ex mente & hypothese Magistri sui, quem sciebant errare non posse. Ad II. respondent, Christum veram diem 14. observasse, Judæos verò falsis suis & fictis canonibus deceptos, illegitimum contra Legem divinam celebrasse Paschatis festum. Ad III. regerunt cum Dionysio Petavio Lib. 12. de Doctr. Tempor. c. 15. potuisse eo tempore publicum Schisma de die mactandi agni inter Judæos viguisse, ita ut nonnulli melius vel ex Astronomia, vel aliunde edocti veram dierum assumerent seriem, alteri verò traditiones Patrum tenaciter servarent, indeque non ausos fuisse quicquam criminis Christo de comesto jam agno objicere, hæsitantes nempe ipsine, an Christus debitam elegerint diem? H. I. Idem respondent ad secundum rationis tertiæ membrum, intromisisse Judæos Discipulos, ut agerent cum Paschali agno ad legem Dei, cum ipsi nescirent an Christus, an verò ipsi justo tempore Pascha comederent; vel etiam dicunt, non quidem cum Cedreno p.

144. citante *Casaubono in Exercit. Baron. Exercit. XV. n. 12 p. 333.* Christum Judaicum Pascha tunc temporis omnimò prætermisisse, & id solum celebrasse, quod ipse instituit; sed noluisse Christum in ultimo suo Paschate omnes istas ceremonias observare, ut ostenderet, cessare Legis Ceremonialia, cum ipsum corpus jam advenerit *Coloss. II. 16.* Quod verò apud *Johannem* per *Pascha Chagigab* sit intelligendum, dicunt esse *λίαν μέγα αίτημα*, inprimis cum ex nullo parallelo loco N. T. illa significatio ostendi possit, prætereà addi vocem *edere* Pascha, quæ non aliter reperitur in Scriptura, quàm de agno Paschali *Marc. Ant. de Domin. Lib. I. de R. E. c. VI. n. 264.* Idem etiam dicendum putant de voce *Sabbathi* apud *Johannem*, cum nihil obstet, quò minus Sabbathum propriè sic dictum ibi intelligi possit; & quæ aliàs esset ratio cur *magnum Sabbathum* dicatur? Et tandem concludunt firmum manere, *Christum alià die, Judæos etiam alia die Pascha celebrasse*, & quod ulterius inde inferitur, *non solum hodiernos Judæos de tempore celebrandi Pascha sibi non constare, sed jam tempore passionis Christi hanc apud ipsos etiam obtinuisse ignorantiam.*

§. IX. Quoniam verò post Ascensionem Domini in cœlos, neque *Apostoli* certum quid de celebrando Paschate sanxerunt. (*Propositum enim fuit Apostolis non ut de diebus festis Leges ferrent, sed ut rationem rectè vivendi veramque pietatem ostenderent; ac mihi quidem videtur, ut alia multa variis in locis usu quodam invaluerunt sic etiam paschale festum apud singulos ex inolita quadam consuetudine peculiarem observationem habuisse, proptereà quod nullus ex Apostolis, ut dixi, de illo festo quidquam lege sancivit.* Inquit *Socrates Lib. V c. 22.* Hist. Eccl. interprete *Henrico Valesio p. 283. 284.* Producuntur equidem à Pontificiis *Lib. VIII. Constitutionum Apostolicarum* editi à *Clemente I. Papa*, quas inter etiam quædam de festo *Paschatos* habentur, sed cum plurimis, ipsis etiam Pontificiis Theologis, *Bellarmino de Scriptor. Eccles. secul. I. de Clemente p. 30.* *Ribera in c. XI. Johannis, Pererio Disput. I. in c. XI. Johann. supposititias* illas esse affirmamus.) Hinc factum est, ut post eorum tempora vario à variis tempore festum Paschatos celebratum sit. Aliqui inprimis in *Asia*, quibus se conjunxerunt particulares Ecclesiæ in *Africâ, Asiæ confini, Ægyptii, Æthiopes, Numidii Cyreni*, (qui omnes dicebantur *Ecclesiâ Orientalis*) tempus illud, quod Deus Judæis ad celebrationem Paschatos definiverat, observabant, & simul cum Judæis, in  
quam-

quamcunque etiam diem incideret Luna 14. adeoque *in ipso* etiam *Plenilunio Pascha* celebrabant, provocantes ad *Apostolum Johannem*, qui idem hoc fecisset. Aliqui, inprimis in *Italia* quibus se associarunt *Europæi*, & illi qui in *Africa* propriè sic dicta degebant, (qui dicebantur *Ecclesia Occidentalis*) piaculum existimantes, sibi convenire cum *Judæis*, pro Luna 14 accipiebant *Dominicum diem* proximè sequentem, in memoriam gloriosæ resurrectionis Christi, itidem provocantes ad *Apostolum Petrum* & *Evangelistam Marcum*; Aliqui planè Lunæ cursum non attendentes 14 die post *æquinotium Pascha* obibant, quemadmodum hoc de *Montanistis* refertur apud *Nicephorum Callistum H. E. Lib. XII. c. 32.* Aliqui, ut *Galli* & *Cappadoces* præcisè die 25. *Martii Pascha* celebrabant, eò quod putarent Christum hoc die resurrexisse. confer. *Beda Lib. de ration. Temp. c. 45. Tom. II. opp. p. 89. & Epiphanius Heresi 50. adversus Quartadecimanos Lib. 2. Tom. I. opp. p. 420.* Et hoc ab omnibus per longum tempus fuit observatum, absque ullo alicui moto certamine, donec Romanum Episcopatum adeptus esset *Pius I.* hic enim anno 157. voluit, ut omnes *Ecclesiæ* suam Romanam Occidentalem sequerentur, id studiose agens, ut *Asiam* ad suos ritus & *Ecclesiam Orientalem* ad conformitatem pertraheret, publicatâ eam in rem *Epistola Decretali*, quæ reperire est *Tom. I. Conciliorum Colon. 1551. p. 85.* Venit igitur Romam *Polycarpus Episcopus Smyrnenfis* ad *Anicetum Successorem Pii*, & cum hic insolentius contra regulam *Pauli* judicaret, allegans majorum suorum consuetudinem, *Polycarpus Johannis, Philippi* & aliorum *Apostolorum* exempla opposuit, & suas *Ecclesias* defendit, teste *Irenæo* in *Epistola ad Victorem*; ac tandem negotium ita transactum est, ut neuter in hac controversia suam sententiam pertinaciter tueretur, sed potius maneret ἀδιάφορον, cum non deceat, ut diversitate Ceremoniali fidei rumpatur concordia. Post *Anicetum, Eleutherius Romanus Pontifex Pii* Decretum renovavit, & tamdiu in conformitate Paschatis constituenda laboratum est, donec *Victor* post *Eleutherium R. P.* omnia violenter tractanda statuens, ac semel perumpendum anno *Domini 191. Commodi Imp. 2.* triste bellum moveret, & pro *hereticis* dissentientes judicans, eos excommunicaret. Pro autoritate quoque, quâ pollere sibi videbatur, Decreta scripsit, & ad *Ecclesias* misit, ut *Pascha* celebrandum esset die *Dominico*. Erat tunc in *Asia Polycrates*, *Ecclesiæ Ephesiorum* Antistes, cui idem imperabat, is re deliberatâ cum alijs animosè respondit, se nolle à libertate *Christiana* recedere,

cedere, quapropter *Victor* furens missis literis fratres omnes *Asiaticos* & Ecclesias vicinas excommunicat, & *Hereticos*, *Tessaresdecatis* sive *Quartadecimanos*, quod cum Judæis quarta decima  $\Delta$  in ipso Plenilunio festum Paschatos celebrarent, palam denunciat. Quod plurimis Episcopis displicuit, in primis verò *Irenæo Lugdunensi in Galliis Episcopo Polycarpi Auditori*, qui graviter reprehendit *Victorem*, eumque peccasse ostendit, quod tot Ecclesias perturbasset, & à corporis unitate abscindere conatus fuisset, ob id saltem, quod morem à Veteribus & Majoribus usque ad se propagatum custodirent. Cujus totius controversiæ finis tandem fuit, ut utraque pars suum morem retineret, observatâ concordia; & cautum etiam est, ne quis unquam deinceps illam litem moveret. Quæ hic in compendio proposita sunt, fusius recensita legas apud *Eusebium Lib. V. H. E. c. 23. 24. 25. Socratem Lib. V. H. E. c. 22. Sozomenum Lib. VII. H. E. c. 18. Nicephorum Lib. IV. H. E. c. 36. 37. 38. & Lib. XII. H. E. c. 32. 33.* Hac cautelâ tamen nihil obstante, rursus mota controversia hæc tempore *Constantini Magni*, qui pio consiliò motus, postquam vidisset quod hoc malum multas dederit turbas, primùm in *Orientem* misit *Osum* celeberrimum *Hispaniarum Episcopum*, ut de Paschate dissentientes componeret, sed rebus infectis, iterum rediit, quapropter aliud remedium huic malo quærendum erat, hoc se offerebat in *Arii hæresi*, quæ nefanda hæresis, cum extirpanda esset & damnanda, convocavit *Constantinus M. anno 325. seculo scilicet IV. Concilium Nicææ*, quæ Urbs est *Asiæ*, in Provincia *Bithynia*, in quò fuerunt *Episcopi 318.* quæ *Synodus* quoque hæresin hanc *Arii* damnavit; ut autem eadem fideiâ duo dealbarentur parietes, voluit *Constantinus Magnus*, ut etiam *Controversia de celebrando Paschate* decideretur, quod etiam *Episcopi* tunc temporis congregati fecerunt, atque decreverunt, ut *Paschalis solennitas die Dominico fieret, qui 14. Lunam primi mensis promixè sequeretur*, quemadmodum etiam hæc sic referunt *Eusebius in vita Constantini M. Lib. III. c. 5. & c. 18. Socrates Lib. I. H. E. c. 7. 8. Theodoretus Lib. I. c. 10. Tom. II. opp.* Quod Concilii Nicæni Decretum, quoniam nondum omnes illi, qui *Quartadecimanorum* nomine tunc temporis veniebant, ipsi subscribere voluerunt, in subsequentiis multis aliis Conciliis confirmatum est, in *Romano, Arelatensti, Antiocheno & Chalcedonensi*, quod ultimum *Anathemate* etiam secus sentientes ferit, sic enim habent Verba Actione, *1. Tom. I. Colon. 1551. col. 2. p. 813. Omnis qui non celebrant sanctum*

etum

*Etum diem Paschæ secundum sanctæ Catholicæ Ecclesiæ statuta anathema sit.*

§. X. Juvat autem ipsam Constitutionem Concilii Nicæni hac de re inspicere. Equidem in ipso Concilio Nicæno ejusque actibus, non legitimus peculiarem Canonem hanc de re factum, neque inter 80. qui Tom. I. Conciliorum Colonienfi p. 251. enumerantur, reperitur, nihilque apud Auctores alios invenimus, præter id, quod Ruffinus Aquilejensis Presbyter Lib. I. c. 6. Canone ultimo hujus Concilii scribit: *Sed & de Observatione Paschæ antiquum Canonem, per quem nulla de reliquis varietas oriretur, Ecclesiis tradiderunt.* Cognoscimus tamen Decretum Concilii Nicæni de Paschate ex Epistola quâdam, quam Synodus hæc ad Ecclesiam Alexandrinam, & ad fratres Ægyptum, Lybiam & Pentapolim incolentes misit, in quâ, ut refert Socrates Lib. I. H. E. c. 9. p. 29. & Theodoretus Lib. I. H. E. c. 9. Tom. II. opp. p. 151. C. hæc extant verba: *Quod autem ad omnium Consensum de Sacratissimo festo Paschatos celebrando attinet, scitote, quod Vestris precibus controversia de ea re suscepta prudenter & commodè sedata est, ita ut omnes fratres, qui orientem incolunt, quique Judæorum Consuetudinem ante in eo festo observando imitari solebant jam Romanos nos, & omnes vos, qui eundem morem quem nos, in illo recolendo à primis temporibus tenuistis, sint consentientibus animis in eodem celebrando deinceps sedulò secuturi.* H. I. Quæ verba cum expressè non explicent, quo die Pascha celebrandum sit, sed saltem quod non cum Judæis simul observandum, clarius aliquantum se explicat Constantinus M. in Epistola ad absentes Ecclesias in Asia, in quâ dicit, quod non simul cum Judæis, sed quod omnes Ecclesiæ simul uno die (nempe die Solis) post Pascha Judæorum, hoc sacrum festum celebrare debeant. Confer. Eusebius, Socrates, Theodoretus ll. cc. D. Ambrosius in Epistola 83. Lib. X. ad Episcopos per Æmiliam constitutos (quam suis Tabulis Frisicis præmisit, Notisque illustravit Nicolaus Mulerius Med. D. & Gymnasiarcha Leowardianus) & Concilii Nicæni, & eorum, quibus injunctus erat labor corrigendi tempus Paschæ à Concilio, conjungit his verbis: *Non mediocris esse sapientiæ diem celebritatis definire Paschalis, & Scriptura divina nos instruit, & traditio Majorum; qui convenientes ad Synodum Nicænam, inter illa fidei ut vera ita admiranda decreta, etiam super celebritate memorata, congregatis peritissimis calculandi, decem & novem annorum collegere rationem, & quasi quendam constituere*

circulum, ex quo exemplum in annos reliquos gigneretur; Hunc circulum Enneadecaëterida nuncupaverunt, sequentes illud, quod non debeamus vana quadam opinione super celebritate hujusmodi fluctuare, sed vera ratione comperta, ita omnium concurrat affectio, ut una nocte ubique sacrificium pro Resurrectione Domini deferatur. Et aliquibus interjectis: Duo autem sunt observanda in solennitate Paschæ Quarta-decima Luna, & primus mensis qui dicitur Novorum. Et rursus multis interjectis: Incipit autem, inquit, mensis non secundum vulgarem usum, sed secundum consuetudinem peritorum ab æquinoctio, qui dies est 12. Kalend. April. In his verbis præcipuè duo dicit Ambrosius (1.) Pascha celebrandum esse die Dominico post 14. Lunam primi mensis post æquinoctium. (2.) Lunam 14. primi mensis inquirendam esse per cyclum aurei numeri decennovennalem. Scilicet, ne qua Controversia posthac de primo-mense denuò existeret, datum est negotium Eusebio Casariensi, ut adhibitis Alexandrinis Viris Mathematicæ peritis (ibi enim Mathesis adhuc florebat) & cyclum & aureum numerum disertè describeret; quoniam verò jam ante Concilium Nicænum Viri quidam docti, (quantum quidem Astronomiæ peritia eò tempore permittebat) conati sunt tabulas & cyclos Paschales construere, secundum quos terminus Paschalis esset constituendus, qualis erat *Cyclus Hyppoliti* 16, & *Cyclus Anatolii* 19. annorum; hi ad negotium termini Paschalis inquirendi deputati viri, Cyclos hos examinarunt, & edocti jam olim à *Metone Atheniensi* (*Pausania* filio, *Viro* ut eum describit *Scaliger Lib. 2. de Emend. Tempor. non solum peritia cælestium motuum, sed & librationibus aquarum nobili*) Phases Dæ 19. annorum spatio, ad pristinas luas sedes redire, cyclum 19. annorum, quem ἐννεαδεκαῖεταῖα appellant, commodissimum putarunt, ex quo terminum Paschalem cognoscerent, initium autem cycli *Decennovennalis* sive *aurei numeri* factum est ab Anno Domini 323. qui proximè Synodum antecessit. Quoniam verò *Æquinoctii* etiam habenda erat ratio, & hoc eo tempore quidem in 21. *Martii* circiter incidere, constitutionem de *Termino Paschali* sequentibus hypothesibus incluserunt. I. ut dies XXI. *Martii* sit dies *Æquinoctii*. II. ut in hanc XXI. *Martii* cadere possit terminus Paschalis. III. Ut die Dominico in *Memoriam Resurrectionis Christi Pascha* celebretur. IV. Ut hac Dies *Dominica* sit proximè sequens *Plenilunium* primum post *Æquinoctium Ver-num* sive XXI. *Martii*, adeò ut si incidat XXI. *Martii* die *Sabbathi* pro-xima

xima

*xima sequente die Dominica Pascha fit. V. Ut si forte XXI. Martii cadat in diem Solis, non hic ipse dies Solis, sed proximè sequens altera Paschati sit assignanda.*

§ XI. Secundum has Hypotheses Episcopus Alexandrinus Paschatos festum eruere debebat, & obligabatur, ut quotannis jam circa Nativitatem Domini, verum diem Paschalem cum Orientalibus, tum etiam Romano Pontifici designaret. Romanus autem Pontifex hunc diem Occidentalibus Metropolitanis denunciabat, & hi Episcopis & Clero, Episcopi & reliqui Parochi quilibet suo coetui. Gallicana Ecclesia hac methodo usa est, ut ob defectum artis Typographicae ex cerea suspensa tabella Pascha, & inde dependentia festa, per totum annum indicaret; & hic mos denunciandi Pascha diu in Ecclesia observatus fuit; cum autem Christianorum multitudo cresceret, & per universum orbem dispergeretur, impossibile fuit, per tot latissima locorum terra marique distitorum intervalla, hunc morem continuare, unde de compendiis agi coeptum est, quibus in futurum sibi prospicere possent illi, qui rebus sacris erant admoti, nec tamen Mathematicarum rerum gnari. Manum huic negotio admoverunt Cyrillus atque Victorinus Episcopi Alexandrini. Verum ne hoc ipso quidem, de celebrando Paschate omne penitus sublatum est dissidium, quin postea atrocius exarserunt contentiones, nec conveniebat Romanis Episcopis cum Alexandrinis, donec doctissimus quidam Abbas Dionysius natione Scytha (adeoque inter Scythas etiam floret Anacharsis) cognomine Exiguus, circa annum Christi 526. Cyclum Alexandrinorum Romanis mensibus inferret, & concordiam utrinque conciliaret. Hic Dionysius praesupposito, equinoctium Vernalium in XXI. Martii incidere, & cum hoc die perpetuo connexum esse, per singulos annos quaerebat dies, in quem proximum à 21. Martii seu equinoctio Plenilunium caderet, & Cyclum Eusebianum (sive Metonicum à primo Autore) Lunarem aut Paschalem ad tempora usque nati Christi retrò extendit, & deprehendit primum annum Christi cum Cycli anno secundo currere, & hanc Regulam construxit: *Ad annum Christi adde 1. (Christus enim secundo anno cycli natus est) & summam divide per 19, residuum dat cyclum Lunæ, sive aureum numerum, (sic vocatum vel ideò, quod sicut auro omnia sunt venalia, ita per hunc numerum festa mobilia reperiantur, vel ob insignem & aureum quem praestat usum, vel ob id, quod Alexandrini ad Romanos tum temporis Dominos, in tabella quadam argentea, aureis scriptas*

scriptas literis Lunæ varias ac multiplices peragrationes miserint. *V.M. David Origanus Introduct. in Ephemerid. p. m. 17.*) & si nihil remanet sumitur ipse numerus 19. cum quo numero residuo ingredi tabellam sequentem, & manifestum fiet Plenilunium Paschale, quod proximè sequens dies Dominica est festum Paschatos, si verò in ipsum diem Dominicum inciderit Plenilunium, sumitur pro Festo Paschatos altera sequens Dominica.

Tabella pro inveniendò Plenilunio Paschali.

Cyclus D	Plenil. term.	Cyclus D	Plenil. term.	Cyclus D	Plenil. term.
1.	5. Aprilis.	7.	30. Martii.	13.	24. Martii.
2.	25. Martii.	8.	18. Aprilis.	14.	12. Aprilis.
3.	13. Aprilis.	9.	7. Aprilis.	15.	1. Aprilis.
4.	2. Aprilis.	10.	27. Martii.	16.	21. Martii.
5.	22. Martii.	11.	15. Aprilis.	17.	9. Aprilis.
6.	10. Aprilis.	12.	4. Aprilis.	18.	29. Martii.
				19.	17. Aprilis.

Sed cum per Leges *Concilii Nicani* non nisi die Dominico Pascha celebrandum, porrò videndum erat, in quem Septimanæ diem caderent termini Paschales in præcedenti tabella, ut dies Dominica sequens constitui posset. Quod quidem facillimo negotio invenire potuissent, numerando à primo anni die sc. *1. Januarii*, qui semper habet literam A, ad illum terminum Paschalem usque, sed huic etiam labori *novo Cyclo* subvenire voluerunt, quem ab officio *Cyclum Solis* dixerunt, qui monstrat literam quandam per integrum annum usurpandam diebus Dominicis; est enim nihil aliud, quam spatium 28. annorum, in quo mutatio literæ Dominicalis in sua principia revertitur, dictus *Cyclus Solis*, non quod motum Solis ostendat, sed quod *literam Dominicalem* indicet, per quem scimus diem Dominicum, quo Sol juxta Astrologos dominatur, prætereà etiam in discrimen *Lunaris* hic dicitur *Solaris*; invenitur verò hic cyclus quovis anno juxta hanc Versiculo inclusam Regulam.

*Annis adde novem Domini, partire per octo  
Viginti, cyclus sic tibi notus erit.*

*Quod si verò nihil remanet, sumitur ipse numerus 28, & hoc residuum ostendet, quanam quovis anno litera Dominicalis locum habeat. Ad-*  
ditur



ditur 9. anno Christi, quoniam primus annus Christi cum 10 anno Cycli currit, ex quo Cyclo sequens confecta

Tabella pro invenienda Litera Dominicali.

1. G F.	2. E	3. D	4. C	5. B A	6. G	7. F
8. E	9. D C	10. B	11. A	12. G	13. F E	14. D
15. C	16. B	17. A G	18. F	19. E	20. D	21. C B
22. A	23. G	24. F	25. E D	26. C	27. B	28. A

Qui duo *Cycli, Lunaris & Solaris*, inter se multiplicati, producant *periodum magnam* annorum 532, qua exacta, omnes Neomeniæ cunctaque festa mobilia in *eundem diem mensis & in easdem ferias Septimanae*, redire dicuntur, cujus primus *Autor* creditur *Victorinus Aquitanus*, qui ab *Hilario P. R.* Romam vocatus, eam confecit, & *A. C. 463.* publicavit.

§. XII. Si tamen dicendum quod res est, totus hic computandi *modus Cyclicus* nimium quantum *erroneus* est, & ad *mentem Concilii Nicæni nequaquam compositus*. Duplex hoc assertum, de cyclica computandi ratione dupliciter etiam probamus. Et quidem *initio* dicimus eam *erroneam* esse, propterea, quia duplici falsa nititur hypothesis. *I. falsa hypothesis* est, quod æquinoctia quotannis in eundem diem eandemque horam incidant. Si enim præcisè *annus Julianus 365. dierum 6. horarum* esset, quemadmodum communiter aliàs annum in vita Civili metimur, secundum *Sosigenem, Julii Caesaris Mathematicum*, nullus esset error in celebrando Paschate; at verò hoc non est. *Illustris* namque *Tycho de Brabe*, ex accuratissima, quam quovis tempore instituit, observatione, deprehendit, *Annum Tropicum Solarem tantum esse 365. D. 5. H. 48. pr. 45. sec.* adeò, ut singulis annis *11. pr. 15. sec.* justò plus, fuerint addita; qui error initio quidem insensibilis, post aliquot seculorum decursum tamen, scilicet 1375 annorum (quot nempe inter annum Christi 325. & hunc præsentem 1700 intercedunt) satis notabilis extitit, ut sit *10. D. 17. H. 48. pr. 45. sec.* & sic æquinoctium, quod Concilii Nicæni tempore fuit *21. Martii*, jam ferè *11. diebus* citius fiat. Conf. *P. Gassendi Institutio Astronomica Lib. 1. c. 26. p. m. 51.* *II. Falsa hypothesis* in eo consistit, quod *Cyclus Lunaris* sit *19. annorum*, & quod *Sol & Luna* intra *19. annorum spatium* in iisdem *punctis uniantur*, hoc enim præcisè non fit, sed semper aliquid restat, quod

D

suc-

successu temporis sensibilem generavit errorem. Multiplicentur enim  
 365. D. 6. H. (annus scil. Julianus) per 19. annos & producent 6939. D.  
 18. H. annus autem verus 365. D. 5. H. 48. pr. 45. sec. multiplicatus per  
 19. producit 6939. D. 14. H. 26. pr. 15. sec. In his verò 19. annis sunt *se-*  
*ptem embolismales*, quorum singuli 13. *mensēs* continent, jam 7. in 13. du-  
 cti dant 91. quibus additi 144. (producti scilicet numeri ex multiplicatione  
 12. in 12. quot scilicet Lunationes anni communes continent) dant 235.  
 lunationes, quæ in *mensē Synodicum Lunarem* 29. D. 12. H. 44. pr. 3. sec.  
 multiplicatæ, producunt 6939. D. 16. H. 31. pr. 45. sec. à qua quantitate  
 ablata quantitas 19. annorum verorum, ostendit post 19. annos veros 2. H. 5.  
 pr. 30. sec. Plenilunia tardius contingere; ablata verò ipsa quantitate hæc  
 ab annis 19. Julianis, manifestum fit, plenilunia post 19. annos Julianos 1. H.  
 28. pr. 15. sec. citius contingere; & si hæc anticipatio à tempore Concilii  
 Nicæni ad hoc usque tempus, quovis 19. anno continuetur (cum jam 72.  
 vicibus facta sit) apparet, priora Plenilunia ab hiscè differre 4. D. 9. H. 54.  
 pr. 0. sec. Conf. *M. David Origanus in Introduct. in Ephemerid. P. I.*  
*c. 2. p. 27. & M. Georg. Albert. Hamberger Disputat. de Usu Matheseos in*  
*Theologia. §. 45.* Adeoque de his duabus hypothēsibus obtinet illud  
 Philosophi Lib. I. de coelo c. 5. inquietis: τὸ μικρὸν ὀρθῶς βῆναι τῆς ἀλη-  
 θείας ἀφισταμένοις γίνεται πόρρω μυριοπλάσιον. *Parum à veritate*  
*deflectere desistentibus fit decies millecuplum.* Antequam ad alterum  
*membrum* accedamus, Historia aliqua erit proferenda, qua etiam probari  
 potest, Cyclum hunc esse erroribus obnoxium. *Paschasius Episcopus*  
*in Sicilia*, in Epistola Paschali ad *Leonem I.* quæ reperitur apud *Marianum*  
*Scorum Lib. 2. Ætat. 6. ad ann. 445.* & cum eo alii Autores plures nar-  
 rant, in *Hispania* Capellam quandam esse, in qua, tempore Paschatos, quo  
 Catechumeni solebant baptizari, aqua in baptisterio manare, & post  
 baptismum rursus defluere consueverit; jam refert *Gregorius Turonensis*  
*Lib. X. c. 22.* quod *A. C. 594.* dubietas circa Pascha fuerit, quo anno cy-  
 clicus terminus Paschalis fuit *d. 10. Aprilis* die ♄, multi ergò die ☉ sub-  
 sequenti Pascha celebrarunt, aqua verò non fluxit, sed demum post octi-  
 duum, quod indicio fuit, cyclum errasse & falsò Pascha designasse. Con-  
 fer. *Calvisii Opus Chronolog. ad Ann. Chr. 417. p. 584. & ad annum Chr.*  
*594. p. 661.* Equidem haud negaverim à fabula quam historia hoc videri  
 propius, sed bonis tamen Autoribus scripta, que culpa est describere?

utimus

utimur verbis J *Lipsii Lib. 2. Mon. & Exempl. Polit. c. 9. Mon. 2. n. 3. p. m. 181.* Alterum asserti membrum, quo dicebatur, hunc Cyclum non ad mentem Concilii Nicæni compositum esse, inde probamus (1.) quoniam Autores Cycli, cum debuissent *Lunam 14. sive terminum Paschalem Judaicum* inquirere, tantum *Novilunium* quæsierunt, & ab hoc inclusivè numerantes *14. dies terminum Paschalem* constituerunt, cum tamen *14. Luna*, sive usitato more loquendi *terminus Paschalis Judaicus*, neque in V. neque in N. T. *14. dies à Novilunio*, sive Synodo Luminarium fuerit, sed *15. nonnunquam etiam 16. confer. §. 5. & §. 9.* adeoque sæpè factum est, ut contra mentem Concilii, ante Plenilunium, Pascha celebratum sit. Unde *Clavius c. XVIII. Explic. Calend. n. 5.* dicit: *Solum in hoc Cyclus ille Nicæni Concilii reprehendendus videtur, quod nimis crebrò eo modo (ante Plenilunium medium) Paschæ diem proposuerit celebrandum, propter anticipationem Noviluniorum.* (2.) Quoniam, quando ad Methodum Cycli Pascha constituitur, contra Decretum Concilii Nicæni in celebrando Paschate, sæpius peccatur, & non illo ipso die, quo juxta statuta Concilii esset celebrandum, Pascha celebratur, sed *7, 28, nonnunquam etiam 35. diebus post.* Ex Anticipatione *Æquinoctiorum & Noviluniorum tres oriuntur errores.* Primus minimus appellatus ille, quo Pascha verum à Paschate Usuali Ecclesie differt hebdomade una, secundus est medius, *28. dierum*, tertius est maximus *35. dierum* inquit *Johannes Garcaus Tract. de Tempore Canone LV. p. m. 269.* Primus error contingit, quoties Plenilunium in diem  $\text{F}$  ♀ aut  $\text{H}$  cadat, quod hoc 1700. anno factum, in quo Plenilunium cadit in diem  $\text{H H. 7. 19. pr. a. m.}$  (die scilicet *23. Martii st. v.*) juxta Concilium Nicenum potuisset Pascha celebrari die Dominico sequenti, si verò juxta præcedentes Canones inquiratur Pascha, ostendit Tabella Plenilunium cadere in *27. Martii diem Mercurii*, adeoque hunc proximè sequens dies Dominicus Paschati demum fuit destinatus. Secundus accidit error, quoties Plenilunium aliquod cadat in diem aliquam intra *11. & 21. Martii*, hoc factum Anno 1693. in quo Plenilunium incidit in diem *12. Martii st. v. diem ☉*, quod Plenilunium æquinoctio Verno proximum, Paschale esse potuisset secundum Synodum, adeoque Pascha celebrari potuisset die Dominico proxime sequenti *d. 19. Mart.* sed, si inquiramus illud per Canones, invenimus terminum Paschalem *d. 13. April. & Pascha demum die 16. April. adeoque 28. diebus*

tardius. *Tertius obvenit error, quando Plenilunium cadit in diem G  
 4 Q aut H S in diem intra 11. S 21. Martii, hoc factum anno 1698. in  
 quo Plenilunium incidit in diem 16. Martii st. v. diem G adeoque sequens  
 Dominica 20. Martii per Decreta Synodi jam fuisset Paschati sacra; quara-  
 tur verò Pascha per Cyclum prædictum, & invenietur terminus paschalis  
 die 18. April. die D e, adeoque Pascha d. 24. April. & sic 5. Septimanis sive  
 35. diebus tardius celebratum. Ita ergò Leges Concilii Nicæni obser-  
 vaturi, per Oscitantiam Computistarum, quos vocant, in illas peccamus,  
 S anathema evitaturi, in illud (hodie quidem scientes) incurrimus, dicit  
 Hamberger l. c. § 45. Sed dicis Concilium Antiochenum anathemate il-  
 los ferire, qui audent dissolvere regulam sancti S magni Concilii Nicæ-  
 ni de sancta S salutari festivitate Paschali; ad hoc respondemus: nos  
 non subvertere Concilii Nicæni Decretum, sed tantum Cyclum illum Eu-  
 sebianum (vel ut postea dictus est) Dionysianum, quia erroribus est obno-  
 xius, inprimis, cum sciamus in nullo Canone, vel Concilii Nicæni, vel alius  
 antiqui, illum canonisatum esse.*

§. XIII. Quoniam itaque tot enormes, in rem Calendario graphi-  
 cam ex hocce Cyclico computandi Pascha modo, irrepsere errores, &  
 propterea querelæ motæ, in Conciliis hac de re deliberari & remedium  
 quæri coeptum est. In Concilio enim Constantiensi anno 1415. Petrus de  
 Aliaco Cardinalis Cameracensis, in Concilio Basilæensi anno 1432. Car-  
 dinalis Nicolaus Cusanus hac de materia differuerunt, & scripta quoque  
 ediderunt, semper tamen emendatio Calendarii intermissa est. Anno  
 1476. Sixtus IV. Pontifex rursus emendationem Calendarii meditatus est,  
 Innocentius VIII. post eum propterea quoque illius temporis celeberrim-  
 um Mathematicum Johannem Müllerum, à cognomine in Franconia  
 oppido, Regiomontanum dictum, Romam venire curavit, qui tamen an-  
 tequam aliquid seriò occepisset, in flore ætatis, annorum scilicet 33, à filiis  
 Trapezuntii, inimici sui, venenò sublatus, mortem obiit. Denuò, anno  
 1514. Leo X. in Concilio Lateranensi præcipuos Mathematicos, quos in-  
 ter Paulus Middelburgensis, Johannes Stöfflerus, Albertus Pigbius,  
 voluit de emendatione Calendarii esse sollicitos, & quemadmodum jam  
 ante anno 1513. Paulus Middelburgensis, Episcopus Foro-Sempronensis,  
 Librum Paulina dictum, de celebratione Paschatos edidit, sic postea de  
 eadem materia, tempore Concilii Tridentini plures editi Libri à Petro Pit-  
 tato Veronensi, Joh. Maria de Tholosanis, Luca Gaurica, nihil prorsus  
 tamen

tamen peractum est, ut benè de suis temporibus dixerit: H. C. Agrippa Lib. de Scientiarum Vanitate c. 59. de Festis *Multa super Paschatis observatione Conciliorum & Pontificum Decreta, ac Patrum ratiocinationes, & quæ vocantur Ecclesiastica Computa, emanarunt: neque tamen in hunc usque diem, veram atque per universum Orbem eandem Paschatis diem constituere potuerunt, & in hunc usque diem consultis Astrologis, de Calendarii reparatione, sed de indeciso negotio disputatur.* H. I. Tandem *Hugo Boncompagnus*, qui Romanæ Sedi *Gregorii XIII.* nomine præfuit, ubi cogitationibus his prius jam imbutus erat, fortè incidit in Librum jam demortui docti viri *Aloysii Lili Hypsicronei, Med. Doct.* in quo novus continebatur *Cyclus*, qui *Calendario* semel inscriptus, in perpetuum *Novilunia* monstraret, etiamsi ad retinendum in sua sede æquinoctium nonnunquam dies ex anno sit eximendus; ut hoc *Gregorius* probaret, & *Calendarium* emendaret, aliquot præclaros Mathematicos, quorum præcipuus *Christophorus Clavius Bambergensis*, per integros 10. annos Romæ aluit, qui anno 1577. *Compendium restituendi Calendarium* confecerunt, quod etiam cum aliquot *Pontificalibus Epistolis* ad omnes Pontificiæ addictos Religionis Proceres & Universitates missum; cumque illud plerique approbarent institutum, *Gregorius Calendarium Novum*, quod ad nomen suum, *Gregorianum*, appellavit, anno 1581. per publicam *Bullam* evulgavit, & *Cardinalem* quendam, *Ludovicum Madrucium, Tridentinum Episcopum*, in *Comitia Augustam Vindelicorum* misit, Imperatorem eò disponendi causa, ut *novum* hocce *Calendarium* in Imperio quoque introduceretur; quoniam verò Legatus hicce Pontificius, serò nimis adveniret, absentibus jam plerisque Principibus, eorumque Legatis, in istis quidem Comitibus res proponi non potuit, intereà tamen omnes Religionis Pontificiæ Principes, tum in Imperio, tum extra Imperium, in omnibus suis Provinciis hocce *Calendarium* 1582. receperunt. Cuncta hæc breviter narrata, fusius leges apud *Calvisium in Elench. Calendar. Julian. c. 2. Johann. Micralium H. E. Sett. II. Lib. 3. quest. 37. Hieron. Kromayerum in Polymathia Theologica P. 3. c. 3. p. m. 461. Christophorum Clavium in Roman. Calend. Gregor. Proem. Tom. V. Opp. Mogunt. 1612. Thuanum Lib. 76. Histor. Tom. III. p. 781. seq. aliosque plures.* Omne autem negotium, quod isti Mathematici in *Reformatione Calendarii* impenderunt, in hisce potissimum consistebat. I. *Æquinoctium*, quod tempore *Concilii Nicæni* in 21. *Martii* incidit, & anno 1582. depre-

henderunt multò citius incidere, pristinae sedi restituerunt, & caverunt etiam, ut in hac sede propria perpetuò retineretur. Quod ut eò commodius facerent, 10. integros dies ex *mense Octobri* eiecerunt, ita, ut dies 5. Octobris non 5. sed 15 fuerit; & ne posthac rursus mutatio quaedam suscipienda foret, sanxerunt, ut singulis annis 400. in quibus tres dies propter imperfectionem *Juliani Calendarii* accrescunt, primi quique tres centesimi sine *bissexto* transigantur. Sed juvat ipsa cautela hujus Verba ex *Aurea Bulla Gregorii XIII.* quae habetur apud *Clavium Tom. V. Opp. in Calend. Gregor. p. 13. ascribere, quae p. 14. sic habent: Ne imposterum à 12. Calend. April. æquinoctium recedat, statuimus, bissextum quarto quoque anno (utimos est) continuari debere: præterquam in centesimis annis; qui quamvis bissextiles antea fuerint, qualem etiam volumus esse annum 1600, post eum tamen, qui deinceps consequentur centesimi, non omnes bissextiles sint, sed in quadringentis quibusque annis primi quique tres centesimi, sine bissexto transigantur, quartus verò quisque centesimus, bissextilis sit, ita ut annus 1700, 1800, 1900 bissextiles non sint. Anno verò 2000. more consueto dies bissextus intercaletur, Februario dies 29. continente, idemque ordo intermittendi intercalandique bissextum diem in 400. quibusque annis, perpetuò conservetur.*

H. I. II. *Cyclum solarem* ad inveniendam literam Dominicalem correxerunt; quoniam enim exemptione 10. dierum anni 1582. & singulis quadringentis annis rursus trium dierum, *cyclus solaris* cum adscriptis literis Dominicalibus maximè turbatus erat, necesse fuit, ut in ejus locum alius novus correctus substitueretur, qua de re hæc iterum apud *Clavium p. 14. l. c. in Aurea Bulla* extant verba: *Quoniam ob 10. dies de mense Octobri 1582. (qui correctionis annus rectè dici debet) exemptos, partim ob ternos etiam dies, quolibet 400. annorum spatio minimè intercalandos, interrumpatur necesse est Cyclus literarum Dominicalium 28. annorum, ad hunc usque diem usitatus in Ecclesia Romana, volumus in ejus locum substitui eundem Cyclum 28. annorum, ab eodem Lilio, tum ad dictam intercalandi bissexti in centesimis annis rationem, tum ad quamcunque anni Solaris magnitudinem accommodatum, ex quo litera Dominicalis, beneficio Cycli Solaris, æque facile ac prius, ut in proprio Canone explicatur, reperiri potest, in perpetuum.* H. I. III. *Cyclum Lunarem* emendarunt; vel potius rejecerunt & novum (quem *Epactarum* dicebant) cyclum substituerunt. Deprehenderunt enim quod  
Pleni-

Plenilunia quovis 19. anno ad pristinas suas sedes exactè non redirent, igitur prodesse judicarunt, ut huic quoque malo succurreretur. Sic enim verba in *Aurea Bulla*, aliquoties citata, sonant: *Statuimus, ut amoto aureo Numero de Calendario, in ejus locum substituaturs Cyclus Epactarum, qui ad certam aurei numeri normam directus, efficit, ut Novilunium & 14. Paschalis vera loca semper retineant.* Atque hæc breviter etiam de *Calendarii Reformatione* dixisse sufficiat.

§. XIV. Secundum hoc *Calendarium Gregorianum* modò recensitum, *Festum Paschatos*, sequenti methodo invenitur. Fecimus præcedenti §. mentionem, quod Reformatores *Calendarii* duplicem *Cyclum, Solarem & Epactarum* construxerint, juxta quem *festum Paschatos* & inde dependentia *festi mobilia, & litera Dominicalis* inveniri possit. *Epactæ* verò nihil aliud sunt, quam *excessus, quo superat annus Solaris Lunarem*, sive sunt numerus 11. dierum, quibus *annus Solaris communis* 365. dierum, *annum Lunarem communem* 345. dierum superat. Quoniam verò excessus hic accumulatus, in immensum excrecere possit, cautum est, ne *Epactæ* ultra 30. dies excrecant, sed residuum ultra 30. sequentis anni *Epactis* jungatur. Nam si primo anno supersunt 11. dies, supererunt secundo 22, & tertio 33, abjectisque 30. unam lunationem constituentibus, tres reliqui numeri sequenti reservandi *Epactæ*. Confer. *Clavius c. 9. Calend. Gregor. Tom. V. p. 100.* Usus autem *Epactarum* est, ut *Novilunia & Plenilunia* indeque dependentes terminos *Paschales, & Pascha*, fundamentum *festorum mobilium* ostendant; ultra tamen 300. annos *Epactæ Novilunia* exactè ostendere nequeunt, ob differentiam anni *Solaris & Lunaris*, iccirco construxerunt varias *Tabulas, Tabulam Epactarum expansam, Tabulam Cycli Epactarum perpetuam, Tabulam Equationis Cycli Epactarum perpetuam* quas vide apud *Clavium l. c.* Quamvis verò *aurei Numeri* loco substitutæ sint *Epactæ*, *aurei numeri* usus tamen planè sublatus non est, sed ad id hæctenus adhibitus, ut per eum *Epactæ* cujuslibet anni invenirentur. *Aureus numerus* verò invenitur, uti jam ex §. XI. constat, si ad annum *Christi* addatur 1, & dividatur totum per 19. residuum enim dat *A. N.* cui in hac


Tabel-

DISPUTAT. THEOLOG.  
Tabella I. respondent Termini Paschales.

A. N.	Term Pasch.	A. N.	Term. Pasch.	A. N.	Term. Pasch.
1.	13. Aprilis.	7.	7. Aprilis.	13.	1. Aprilis.
2.	2. Aprilis.	8.	27. Martii.	14.	19. Aprilis.
3.	22. Martii.	9.	15. Aprilis.	15.	9. Aprilis.
4.	4. Aprilis.	10.	4. Aprilis.	16.	27. Martii.
5.	30. Martii.	11.	24. Martii.	17.	7. Aprilis.
6.	18. Aprilis.	12.	12. Aprilis.	18.	6. Aprilis.
				19.	26. Martii.

Ut itaque *Epactæ* anni cujusvis inveniantur mediante *aureo numero*, sequens iterum constructa fuit

*Tabella II. Epactarum, respondentium aureis Numeris, ab anno 1700. inclusivè ad annum 1900. exclusivè.*

A. N.	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19.
Ep.	IX	XX	I	XII	XXIII	IV	XV	XXVI	VII	XVIII
A. N.	1	2	3	4	5	6	7	8	9	
Ep.	*	XI	XXII	III	XIV	XXV	VI	XVII	XXVIII	

quæ Tabella monstrat *Epactam* cujuslibet anni, *aureo numero* anni cujuslibet subscriptam. Quando autem nota est *Epacta* anni alicujus, illa indicat Novilunium accidere illis diebus per totum annum, quibus *Epacta* adscripta est, i. e. si ab *Epacta* hujus e. g. anni 1700, 9, incipiam numerare usque ad 29. & 30. (quousque se *Epactæ* extendunt) alternatim tamen, semper deprehendam penes 9. Novilunium accidere, à quo si numeravero 14. dies, Plenilunium habebō. Sed ad hoc negotium quoque facilitandum confecta iterum ab anno 1700. usurpanda

*Tabella III. pro inveniendis terminis Plenilunii Paschalis ex Epactis.*

Epactæ	Termini	Epactæ	Termini	Epactæ	Termini
1.	12. Aprilis.	4.	9. Aprilis.	7.	6. Aprilis.
2.	11. Aprilis.	5.	8. Aprilis.	8.	5. Aprilis.
3.	10. Aprilis.	6.	7. Aprilis.	9.	4. Aprilis.

*Epactæ*



Epactæ	Termini	Epactæ	Termini	Epactæ	Termini
10.	3. Aprilis.	17.	27. Martii.	24.	18. Aprilis.
11.	2. Aprilis.	18.	26. Martii.	25.	18. Aprilis.
12.	1. Aprilis.	19.	25. Martii.	26.	17. Aprilis.
13.	31. Martii.	20.	24. Martii.	27.	16. Aprilis.
14.	30. Martii.	21.	23. Martii.	28.	15. Aprilis.
15.	29. Martii.	22.	22. Martii.	29.	14. Aprilis.
16.	28. Martii.	23.	21. Martii.	*	13. Aprilis.

*Cyclus Solaris* seu *literarum Dominicalium* est revolutio 28. annorum. Procreatur autem *Cyclus* hic ex multiplicatione 7. per 4. propterea, quod propter septem dies hebdomadæ sint septem *Dominicales* literæ A. B. C. D. E. F. G. quæ ordine retrogrado hoc *Verficulo* continentur:

*Grandia Frendet Equus Dum Cernit Belliger Arma.*

Et quovis 4to anno unus dies intercaletur, ita ut tunc ordo ille 7. *literarum* interrumpatur, recipianturque duæ literæ *Dominicales*, prior ad diem intercalarem usque, posterior post eandem usurpanda, quoniam verò tam propter 10. dies ex *Octobri* ejectos, tum propter tres *bissextos* quibusvis 400. annis omittendos interruptus est *Cyclus solaris* sequens confecta nova

*Tabella IV. Literarum Dominicalium ab anno 1700. inclusive perpetua si quibusvis 400. annis 3. bissexti omittantur.*

1. D C.	2. B	3. A	4. G	5. F E	6. D	7. C
8. B	9. A G	10. F	11. E	12. D	13. C B	14. A
15. G	16. F	17. E D	18. C	19. B	20. A	21. G F
22. E	23. D	24. C	25. B A	26. G	27. F	28. E

Exhibitis jam *Tabellis* pro *inveniendis*, *aureo Numero*, *Epacta*, *Termino Paschali*, & *Litera Dominicali*, usus earum etiam *subjiciendus* breviter est. Si igitur *I. Festum Paschatos*, invenire volo ( $\alpha$ ) quæro *aureum numerum*, quod fit, si ad annum *Christi* addo 1. & aggregatum divido per 19. residuum ostendet *aureum numerum*, si verò nihil remanet, ejus loco sumitur ipse numerus 19, cum hoc *aureo Numero* ( $\beta$ ) ingredior *Tabellam*

E

lam

*lam I.* & ostendet ea terminum Paschalem, quem proximè sequens Dominica, Festo Paschatis destinata est. ( $\gamma$ ) Cum eodem aureo numero ingredior *Tabellam II.* & ipsi subscriptam invenio *Epactam*, cum qua Epacta si ( $\delta$ ) ingredior *Tabellam III.* invenio itidem terminum Paschalem, quem proximè sequens Dominica Festum Paschatis exhibet, quod si verò hic terminus Paschalis incidat in Dominicam, pro festo Paschatos sumenda est sequens Dominica. Si verò II. nosse cupio *literam Dominicalem* anni propositi, ad annum Christi addo 9. & totum divido, per 28, cum residuo ingredior *Tabellam IV.* (si verò nihil remanet, sumitur ipse numerus 28,) & residuum hoc ostendit, in Tabella literam Dominicalem per totum annum usurpandam. Exemplo res fiet clarior, in hoc anno 1700 *Festum Paschatos*, inquirentes per prædictam operationem invenimus *Terminum Paschalem 4. April. Epactam 9, aureum numerum 10*, quoniam verò *4. April.* incidit in *diem Dominicam*, proximè sequens dies Dominica *Festum Paschatos* fuit sacra, cujus *litera est C.*

§. XV. Enimverò nec hæc *Reformatio Calendarii*, id quod promittit præstat. Dicit equidem *Clavius in Dedicatione Romani Calendarii Clementi VIII. facta*: nisi planè videò nihil, facillimè quivis intelligere potest emendati *Calendarii rationem*, quam *Gregorius XIII. secutus est, unde quaque absolutissimam esse, neque ullam perfectiorem institui posse.* Et ipse *Clemens VIII. prædictum Calendarium nulli unquam mutationi amplius expositum esse videtur.* Sed tamen reperti sunt Viri celeberrimi juxta atque doctissimi, qui *Calendarium hoc Reformatum*, rursus reformatione dignum putarunt, utpote multis erroribus gravissimis obnoxium. Ut aliquos saltem hic exhibeamus I. Dicunt Viri hi clarissimi, dum *Reformatores æquinoctium pristinae sedi restituerunt*, vim Solis cursui factam esse, cum falsò putarint *Concillii Nicæni tempore æquinoctium in 21. Martii fuisse, & 10. dies propterea eximendos; Calvisius enim & Krentzheimius probant, Concillii Nicæni tempore propius 19. quam 21. Martii æquinoctium fuisse.* Imò ipsum hoc ex propriis *Calendarii Reformatorem hypothesis monstrari potest.* Volunt enim illi, ut quibusvis 400. annis 3. bissextiles omittantur, ut hoc ipso in propria & pristina sede *Æquinoctium contineretur; si verò annum Concillii Nicæni 325 ab anno correctionis Calendarii subtrahamus, invenimus 1257. annos, & sic ter elapsos 400. annos & prætereà 57. jam si 1257 per 3. multiplicemus & productum per 400. dividamus, apparet non 10, sed 9.*  
sal-

saltem dies addendos fuisse II. Martii, ubi tempore Correctionis Calendarii Æquinoctium hæsit, II. verò & 9. non 21. sed 20. saltem producunt. Præterea Æquinoctium firmiter retineri & alligari volunt ad Martii 21. diem, cum tamen hoc cum rei veritate non consentire possit. *Confer.*

*M. Johann. Frider. Treiber Tractat. Chronolog. de Juliana & Gregoriana Computatione, cap. V. §. 6.* II. Dicunt *Cyclum* illum *Epactarum* qui priori successit, cum non horas & minuta ostendat, sed dies saltem, in quibus contingant Plenilunia Paschalia, assignet, itidem multis scaterere nævis. *Josephus Scaliger* propterea, quod *Clavius* ignoraverit menses Lunares imparis numeri 1, 3, 5, 7. esse plenos i. e. 30. dierum, paris numeri 2, 4, 6. esse cavaos i. e. 29. dierum, nec Epactas sic disposuerit, ut intervallum unius mensis sit ab Epacta \* ad Epactam, 29. & à 29. ad Epactam \*, intervallum à \* ad 29. sit *cavum* i. e. 29. dierum, intervallum verò à 29. ad \* *plenum* i. e. 30. dierum (cum enim secundum motus Lunæ & veterem Civilium Temporum Usam, primus mensis plenus esse debeat, ab Epacta 29. incipiendum fuisset, non à \*) illum cum Reformatoribus reliquis falsè perstringit, & rem illustri illustrat simili. Quemadmodum, inquit, Analemma & Horologium contrario Dispositu inter se sunt, & formæ Typographicæ præpostero Ordine, & aliter ac chartæ excusæ, digestæ sunt, ut quæ ibi sunt sinistra in charta sint dextra, & contra: ita Contextus Epactarum in Calendario, contrarius est alternationi Lunarium intervallorum, ut quæ cava sunt in Calendario, ea plena sunt in rationibus Lunæ, & contra. *Conferantur Chronologica de Termino Paschali adornata ab Andrea Lindemuyt Dresda 1654. Canone VI. p. 40. &*

*41.* Et III. Supinum hunc errorem etiam in Calendario Gregoriano deprehensum volunt, quod contra mentem & Canones Patrum Concilii Nicæni sæpius cum Judæis Pascha celebretur, & propterea exempla proponunt, annum scilicet 1609, 1622, 1626. in quibus cum Judæis simul Christiani, juxta Calendarium Gregorianum, Pascha celebrarunt. Scribit hanc in rem propterea, *Calvisius c. 19. Elench. Calend. Gregorian. Pontifex ipse Romæ obstupuit, quando vidit Judæos Christi interfectores in Paschate agendo suos fuisse Collegas; qui simul ibi ostendit toties hoc fieri, quoties 14. Luna incidit in diem Sabbathi. Quem tertium tamen errorem, Calendarii Gregoriani, in allegatis annis non contigisse vult M. Andreas Concius in Appendice ad Calendarium Anni 1679. cap. 8. quest.*

*4.* Et hos errores non solum Protestantium Religioni addicti Viri Ca-

lendario Gregoriano impingunt, quales sunt *Scaliger*, *Mæstlinus*, *Calvisius*, *Crügerus* alii, sed ipsimet Pontificii *Franciscus Vieta*, *Johannes Latos*, *Germannus*, *Hieronymus Vecchiectus* & alii. Satis itaque causæ habuerunt *Protestantes*, ut *Calendario Gregoriano* subscribere detrectaverint; quamprimum enim hosce *Astronomicos*, & similes *errores Politicos* compererunt, tam *Theologi* & *JureConsulti*, quàm etiam *Mathematici*, *Calendarium* hoc impugnarunt, & prorsus recipere noluerunt; unde ad hæc usque tempora duplex in *Imperio Romano-Germanico*, temporum observatus est ordo, *Calendarium Julianum* scilicet, quod diximus *Stylum Veterem*, & *Calendarium Gregorianum*, dictum *Stylus Novus*.

§. XVI. Utrumque ergò cum *Julianum Vetus*, tum *Gregorianum Novum*, ut vidimus, vitiosum & erroribus obnoxium est. Quid itaque hic consilii? cui subscribendum? Equidem si in effectum dedisset, quod in affectu habuit, *Vir p. m. Matthias Wasmuth Philologus & Theologus Celeberrimus*, esset de quo nobis gratularemur. Ille enim *Opus Astronomico-Chronologicum* affectavit, quo *Annales cœli & Temporum perpetuos* exhibet, ubi *Libro I.* novam & aliam, sed certiore *Astronomiam* promittit, inde *Libro II.* *Universam fundamentalem Chronologiam apodicticè restituit*, denique *Libro III.* *veram hinc & solidam unionem Temporum proponit, qua scilicet, ut ipse loquitur in Idea Novi Operis, talis simul & semel fieri possit, ac debeat Correctio Styli Calendariographici & Gregoriani, & Juliani, ut nunquam deinceps aberrari iterum possit, aut una iterata correctione egeamus, dum scilicet Civiliter quidem quaternario quolibet anno (uti hætenus) at Astronomicè è Cœlestis Anni Tropici forma & quantitate, in opere ipso clarissimè evicta, quinto quandoque anno certis periodis, demum fiat intercalatio seu bissextilitatis, quæ non egeat exemptili iterum ullo per omne ævum; qua ratione nunquam à cœlesti tempore, civile tempus abibit uno die.* Videatur ipse etiam in *Sciagraphia Operis Astro-Chronologici edit. Kilon. 1684.* Confer. quoque *Chronologia Biblica Christiani Ravii edita Kilon. Holsat. 1670.* qui itidem de emendatione *Calendarii* fuit sollicitus. Nec hæc biga *Virorum* saltem, circa hoc *Negotium*, perfectius edendi *Calendarium*, occupata fuit, sed multi etiam alii doctissimi pariter, ac celeberrimi *Viri*, ut ex multis aliqui saltem adducantur. *Johannes Henricus Alstedius*, in *Encyclopædia Lib. II. Uranoscopiae Part. III, c. 15. p. 1223.* *M. Michaël Mæstli-*

*Mæstlinus* in altero Examine Calendarii Gregoriani. *Sethus Calvisius* ut apparet ex Epistola M. David Origani ad illum, in qua eum hortatur, ut novum Calendarium erroribus refertum refutet, & accuratius innocentiusque edat, Francof. 1610. *M. Jacobus Ellrodius*, Pastor Thuringiæ in triplici edito Calendario. *Erhardus Weigelius*, Mathem. Profess. in Academ. Jenens. in Speculo Temporis Civilis Part. II. c. 6. 8. seq. *M. Abdias Trew*, Math. & Phys. Prof. in Acad. Altorfina, im Bedencken und Discurs vom Vergleich und Verbesserung der Calender. *Jacobus Holstius*, Med. Doct. in edito Tractatu quem inscribit: Jahrbuch. *Johannes Henricus Voigt*, in Colloquio Calendariographico vom Vergleich und Vereinigung des alten Julianischen und Gregorianischen in einen Leopoldischen corrigirten Calender. *M. Johannes Fridericus Treiber*, Fac. Phil. Jen. Adj. in Tractatu Historico-Chronologico de Juliana & Gregoriana computatione c. VII. *M. Andreas Concius*, Mathem. Profess. hic olim celeberrimus in Appendice Calendarii ad Annum 1679. *Godofredus Kirch*, in Calendario Christiano-Judaico-Turcico ad Annum 1678. & 1694. & nuper anno 1699. Anonymus in der Einleitung zu der längst-verlangten des 1700. Jahres wahren und nimmer fallirenden Calender-Kunst / oder der Jahr- und Zeit-Bücher höchst-nöhtigen Verbesserung; Omnes hi docti viri solliciti fuerunt de emendatione Calendarii; omnium verò sententias, & judicia, & modos, quos in emendatione præscribunt, hic proponere, angustia pagellarum non permittit; conferantur ipsi *Autores ll. cc.* *Weigelii* tamen sententiam, hac de re proponamus. Vult ille, ut penitus sublato cyclico modò, (quia, etiamsi ingeniosissimè excogitetur, motibus Lunæ & Solis accurata comoda & perpetua ratione conciliandis, sufficere nequit) solus Astronomicus assumatur calculus. Ut autem Temporum Computationes in uno conveniant, & festa Christiana eodem instituantur tempore, ex Decretò publicò, pro fundamento Computatoribus proponi vult. I. *Quantitatem & Epocham anni Solaris.* Distinguendum tamen putat inter *annum Politicum & Ecclesiasticum*, *Politicam* anni formam optimam judicat *Gregorianam*, *Ecclesiastici* autem anni quantitatem optimam putat, inter *Tychonis de Brabe & Riccioli*, assignatas quantitates, mediam proportionalem. II. *Quantitatem & Epocham mensis Synodici*, rursus mediam inter *Tychonis & Riccioli*. III. *Certum quendam meridianum*, quem elegit *Mexico-Japonensem confer. cit. l. & M. J. F. Treiber. c. l.*

§. XVII. Et hic inveniendi Pascha, & reliqua festa Christiana, modus Cyclico longe correctior est, quia Astronomicus, qui solus errore caret. Quoniam verò methodus hæc longior est, quàm ut paucis hisce pagellis includi possit, inprimis cum non ex professo hanc materiam hic tractemus, nolumus eandem operosè proponere. Hic saltem tacitis quibusdam objectionibus erit occurrendum & quidem (1.) illi, quæ contra consuetudinem celebrandi Pascha hæctenus observari solitam, formari posset, hunc in modum: Deus Populum Judaicum jussit celebrare Pascha, post *æquinoctium Vernum*, *Concilium Nicænum* itidem decrevit, *Plenilunium primum post æquinoctium Vernum*, esse *Paschate*, jam verò, cum per totum terrarum Orbem Christiani sint dispersi, erunt etiam *ultra Æquatorem*, hi autem, quando nos habemus *Æquinoctium Vernum*, habent *Æquinoctium Autumnale*, & sic contra statuta & Dei, & Concilii Nicæni, Pascha celebrant *Æquinoctio autumnali*. R. I. non esse necesse, ut simul nobiscum, adeoque nos in *æquinoctio Verno*, illi in *æquinoctio autumnali*, Pascha celebrent, sicut ex *Questione 3. §. 21.* apparet. 2. Interea tamen posse & illos, qui ultra æquatorem habitant, idem tempus nobiscum habere in celebrando Paschate. Quale enim tempus præcepit Judæis Deus? Certè in S. Scriptura expressè quidem non habetur *Æquinoctium Vernum*, sed tantum *primus mensis*, adeoque tempus post ingressum ☉ in ♈, quod quidem nullum aliud est, quam æquinoctium Vernum in respectu ad Judæos, quibus Deus hanc Legem dedit, nihilominus tamen & illis hominibus, qui ultra æquatorem habitant, idem tempus manet, *tempus scilicet post ingressum ☉ in ♈*, licet tunc habeant *Æquinoctium autumnale*. (2) Respondendum etiam ad objectionem illam, quæ contra Methodum inveniendi pascha Astronomicam dirigitur. Nam posset quis sic objicere: Quoniam globus Terraqueus rotundus est, non omnes populi simul mane, Meridiem & Vesperam habent, sed illis, qui, respectu ad nos habito, Versus Orientem habitant, citius Sol oritur, adeoque citius Meridiem, & citius Vesperam habent, contra illis, qui, respectu ad nos habito, occidentiores sunt, tardius ☉ oritur, tardius habent meridiem, tardius quoque Vesperam; si itaque non cycli, sed motus Lunares in usu essent, in inquirendo Paschate, & fortè incideret Plenilunium in diem Sabbathi, apud nos hora XI. nocturna, illi, qui Orientaliores sunt, nobiscum non simul haberent Pascha, quoniam nos, apud quos ad-

huc

huc est dies Sabbathi, subsequente statim die Solis Pascha celebraremus, illi verò, quoniam eis jam præteriit dies Sabbathi, & Solis dies initium cepit, adhuc expectare opus habent octiduum. Sed r. hoc metuendum non esse, si modò certus eligatur *Meridianus*, vel *Mexico-Japonensis*, ut vult *Dn. Weigelius*, vel *Hierosolymitanus*, quem elegit in *Tabulis Pleniluniorum Calvisius*, vel quicumque alius. Confer. hanc & plures objectiones resolvens *M. Petrus Criigerus* in *Diatribè Paschali. cap. 14. p. 115. seq.*

§. XVIII. Inventò verò *Festo Paschatos*, sive per hunc, sive per Cyclicum modum, reliqua festa mobilia, quorum fundamentum est, facillimò negotio hâc ratione inveniuntur. Et *I. quidem Dominica*, tam antecedentes, quam consequentes, per totum annum, sunt enim & hæc festa mobilia, ut constat ex §. 2. Quod antecedentes concernit, novem proximè præcedentes peculiaria habent nomina, nempe *Septuagesima*, *Sexagesima*, *Quinquagesima*, aliàs *Esto mihi*, *Invocavit*, *Reminiscere*, *Oculi*, *Letare*, *Judica*, *Palmarum*. In his notandum est nomen, & ratio denominationis. Nomina priorum trium Dominicarum dierum, apud nullum probatum Autorem ante *Gregorium M.* inveniuntur, qui propterea etiam *Autor* nominum horum creditur; cur autem sic appellatæ sint, diversæ sunt sententiæ. *Beda* & alii dicunt, ad *Jejunium Quadragesimæ* additam esse à quibusdam unam Septimanam, illamque *Quinquagesimam* nominatam, huic rursus aliam, dictam *Sexagesimam*, consequenter & tertiam, dictam *Septuagesimam*. Aliqui has Dominicas dictas putant à numero dierum usque ad festum Pascha, à *Septuagesima* enim ad Pascha fere sunt 70, nempe 64, à *Sexagesima*, ferè 60, scilicet 57, à *Quinquagesima* præcisè 50. *Rupertus Tuitiensis* non à numero dierum, sed à numero Dominicarum nomina accepisse autumat, itaque prima ex septem dicitur *Septuagesima*, secunda *Sexagesima*, quia prima ex sex, tertia *Quinquagesima* quia prima ex quinque, hæc ultima aliàs etiam dicitur *Esto mihi*, ab introitu Ecclesiastico ex Psalm. XXXI. 3. *Esto mihi*, Deus in Protectorem. *Quinque* subsequentes omnes etiam ab introitu & cantione Ecclesiastica nomen habent, *Invocavit*, ex Psalm. XCI. 15. *Reminiscere*, ex Psalm. XXV. 6. *Oculi*, ex Psalm. XXV. 15. *Letare*, ex Ela. LIV. 1. dicitur hæc Dominica aliàs *Dominica de Rosa*, sive *aureæ Rosæ*, item *de Panibus*, Germanis *der Todt Sonntag* / quasi *lethalis*. *Judica*, ex Psalm. XLIII. 1. Germanis *der schwarze Sonntag*.  
Domi-

Dominica *Palmarum*, à *Palmarum* ramis nomen habet, alias dicitur *Dominica Passionis*, vel *Dominica Magna*. Efferuntur, ex novem his Dominicis, posteriores septem his vocibus mnemoneuticis: *Mors Imperat Regibus, Odiosam Linguam Judicat Dominus*. Dominicæ verò, quæ has novem antecedunt, omnes numerantur post *Festum Epiphaniæ* 1, 2, 3. &c. post *Epiphaniæ*. Si verò inter festum *Epiphaniæ*, & festum *Circumcisionis*, intercedat Dominica aliqua, illa nominatur *Dominica post Circumcisionem*, sive *post Novum Annum*. Quod Dominicas Festum *Paschatos* Consequentes attinet, proximæ *Sex* rursus habent peculiariora nomina hoc versu memoriali consignata: *Quem Mea jusserunt Carmina, Victor erit*. Scilicet 1. dicitur *Quasimodogeniti*, eò quod baptizatis Festo *Paschatos*, acclamatum sit ex *Epist. 1. Petr. II. 2. Quasimodogeniti &c.* aliàs appellatur *Dominica in Albis*. 2. *Misericordias Domini*, ex introitu Ecclesiastico (sicut ferè & reliquæ quatuor) ex *Ps. XCVIII. 2. 3. Jubilate*, ex *Psalm. LXVI. 2. 4. Cantate*, ex *Psalm. XCVIII. 1. 5. Vocem Jucunditatis*, aliàs *Rogationum*, quia oratio est *Vox Jucunda*, ex *Cant. II. 14. Exaudi*, ex *Psalm. XXVII. 7. Septima* dies Dominica, est *Festum Pentecostes, Octava, Festum Trinitatis*. Reliquæ omnes, usque ad *Nativitatem Domini*, vocantur *Dominicæ post Trinitatis* sc. Festum, exceptis ultimis quatuor, quæ vocantur *Dominicæ Adventus*. Si verò contingat, ut post *Festum Natalitiorum Christi* intercedat adhuc aliqua Dominica, ea vocatur *Dominica post Nativitatem Domini*. II. *Alia festa Mobilia*, quæ ex *Paschate* dependent. Scilicet die 3 post *Quinquagesimæ*, est *Nox Jejunii, Fast-Nacht*, quia ad mediam noctem Pontificii, ad fastidium usque, carnem edunt, post mediam noctem *carni valedicunt* ad *Pascha* usque, unde nomen ducit notissima vocula *Carneval*. Die 4 est *dies Cinerum, Ascher-Mittwoch*, in quo Sacerdotes, *Cineres* ex *sacris præteriti anni palmis* ustos, primum consecrant, post consecrationem adventantibus ad aram, in signum *pœnitentiæ* in capita conspergunt, & dicunt: *Memento, quia cinis es, & in cinerem converteris*, *Gen. III. 29*. Die 5 post *Palmarum*, est *dies Viridium grüne Donnerstag*, dictus ita, vel quia tunc omnia *virere* incipiunt, vel quia *nostra salus* tunc *vivere* per *passionem Christi* incepit. Die 6 est *dies Passionis Christi*, aliàs *der Char-Freytag*, quia hic est *charus dies*, vel *Stille Freytag*, quia *Christus in ara crucis conticuit, & obdormivit*. Die 7 post

post



*Vocem Jucunditatis, est Festum Ascensionis Christi, die 7 post Festum Trinitatis, est Festum Corporis Christi, apud Pontificios, olim Festum Corporis & sanguinis Christi, Germ. der Frohn Leichnams-Tag. Fron est antiquum germanicum verbum, significans idem, quod pretiosum, præclarum, herrlich/föstlich/ & nominatur sic dies, quasi Des herrlichen föstlichen Leichnams Christi Tag. Die 8 ante Reminiscere, die 8 ante Festum Trinitatis, die 8 ante 8 præcedentem Festum Michaëlis, die 8 post Lucia i. e. 13. Decembr. est Quatember. Confer. H. Kromayeri Polymathia Theologica P. 3. c. 2. p. m. 459.*

§. XIX. His itaque ex fundamentis *Chronologiae* necessariò præmissis de *Festis mobilibus*, eorumque radice & fundamento, *Festo Paschatos*, subjicienda jam sunt *Theologica*, quorum præcipuè gratia hæc suscepta est *Disputatio*, illa verò sequentibus includemus quæstionibus. Quærimus scilicet. *I. An necesse sit Christianis Festa Mobilia, & imprimis Pascha celebrare? In V. T. necesse fuisse Pascha, & festa reliqua, celebrare, Historia V. T. abunde testatur, adeò, ut Deus etiam animam ejus ex populo suo extirpare jussit, qui Pascha intermitteret Num. IX. 13. Quæritur ergò: Num Christiani in N. T. ad hoc etiam necessariò obligati sint? Negamus hanc quæstionem, illamque probamus sequentibus rationibus. (α) ab antecedente, quia Festa fuerunt paries intergerinus, hic verò, exhibito Messia, est dirutus. Sic enim inquit Apostolus: Nunc in Jesu Christo Vos, qui olim eratis longinqui, propinqui facti estis per Sanguinem Christi. Ipse enim est Pax nostra, qui utraque fecit unum, & intergerini parietis septum solvit. Eph. II, 13. 14. (β) à damno contrarii. Qui putat Festa in N. T. necessario celebranda esse, ille à gratia Dei excluditur, hoc Apostolus Galatis proponit, qui ad Christianismum conversi, Christo jam exhibito, Festa Judæorum ex necessitate colebant, & circumcisionem tanquam necessariam urgebant, unde dicit: Metuo de Vobis, ne frustra fatigatus sim apud vos Gal. IV. 10. 11. & c. V. 4. Inanes facti estis, separati à Christo, quicumque per Legem justificamini, & à gratia excidistis. (γ) à Testimonio. Luculentum hac de re idem Apostolus nobis reliquit Testimonium, qui Coloss. II. 16. dicit: Ne quis igitur vos damnet ob cibum, vel potum, aut respectu Festi, aut Novilunii, aut Sabbathorum. Quæ sunt umbra rerum futurarum, ast corpus est Christi. Unde Augustana Confessio, Articulo de Potestate Ecclesiastica quoque dicit p. m. 43. Talis est Observatio diei Dominici, Paschatis, Pentecostes, & similium*

F

feria-

feriarum, & rituum. Nam qui judicant, Ecclesie Autoritate, pro Sabbatho institutam esse diei Dominicae observationem, tanquam necessariam, longè errant. (d) ab Exemplo. Quippe exemplo suo nobis prævit Apostolus, & festa in N. T. non ex necessitate, sed ex Christiana libertate, celebranda esse docuit. Ille enim Christianæ libertatis esse judicans, & celebrare, & non celebrare festa cum Judæis, Pentecosten celebravit cum ipsis, properabat enim Hierosolymam, ut diem Pentecostes ibi celebraret. *Actor. XVIII. 21. c. XX. 16. I. Cor. XVI. 8.* Eandem libertatem Christianam in eo quoque observavit, quod circumcisionem & admitteret, & negligeret; Admittebat in Timotheo, *Actor. XVI. 3.* negligebat in Tito, *Gal. II. 3.* & omnes ad Christianam hanc libertatem observandam admonet, dicens; *In Libertate qua Christus vos liberavit, state, & ne regredientes implicamini jugo. Gal. V. 1.* Necesse itaque non est Festa, & imprimis etiam Pascha in N. T. celebrare, pro libertate tamen, quâ gaudent Christiani, Festa mobilia, & Festum Paschatis celebrant, ut præcipuorum beneficiorum Dei, & Christi commonefiant. Interea, adiaphoria Festi Paschatis interruptam ejus celebrationem non tollit: nec potuit citra scandalum & turbationem ordinis hæc N. T. Ceremonia mutari, cum à tempore Apostolorum non mutata fuerit. Licet autem non mutata sit hæc, neque adhuc mutetur, tamen non sequitur, eam esse immutabilem. Distinguendum enim est *inter rem indifferentem & ejus usurpationem.* Res aliqua indifferens manere & esse potest indifferens, licet exercitium ejus ad alterutram partem sit restrictum. Vid. *Carpzov. in Isagog. pag. 370.* Errant ergò Petrobrusiani, dicti à Petro de Bruis, Antwerpiensi, *Sec. XI.* & Anabaptista, qui nullos festos dies observandos, sed omnes æquales esse judicant, & pro se allegant Loca Scripturæ *Rom. XIV. 5.* ubi Apostolus inquit: *Alius judicat diem inter diem, alius judicat omnem diem, i. e. aliquis diem unum præ altero pluris æstimat, alter omnes æquales judicat, quilibet abundet suo sensu, & omnia ea loca, quæ supra pro nostris allegavimus sententia. sed & in loco Rom. XIV. Apostolum docere velle, Christianum illis temporibus non peccasse, si observet discrimen Judaicum, neque peccasse, si non observet, modò uterque persuasus sit certò in conscientia sua, (obiter notetur hic error Vulgatæ, quæ reddidit verba hæc: quilibet abundet suo sensu) quod neque observatione diei Deum colat, neque neglectu ejus eum offendat. Quod reliqua loca concernit, agit in eis Apostolus de superstitiosa festorum Judaicorum observatione,*

cui Pseudo-Apostoli opinionem meriti addebant. Confer. *Casus Conscientie Fr. Balduini Lib. II. c. XIII. cas. 1. p. m. 470.* In specie errat *Aërius*, de quò *Epiphanius heres. LXXV. Lib. III. Tom. I. opp. p. 907.* refert, quod dixerit: *Præterea quid est Pascha, quod à vobis celebratur? nimirum ad Judæorum fabulas adhuc adhærescitis. Neque enim Paschatis solennitas obeunda, quoniam Pascha nostrum immolatus est Christus I. Cor. V. Confer. D. Christ. Kortholt Histor. Eccles. Sec. IV. p. 132.*

§. XX. Posse ergò Christianos ex libertate, quam ipsis Christus conciliavit, Festa mobilia, & Pascha celebrare, constat. Quærimus ulterius II. *An necesse sit, Christianos certò die celebrare Pascha, & reliqua festa?* Rursus negatur Quæstio. Circumstantia enim temporis in N. T. ad ceremoniale refertur, ad quod Christiani obligati minimè sunt. Unde videmus, quod primis temporibus, variis celebratum fuerit Pascha diebus. Confer. §. 9. Erravit itaque *Pius I. Episcopus Rom.* qui *Sec. II.* Pascha Dominico die necessariò celebrandum esse voluit, ut legitur in *Epistola ejus Decretali Tom. I. Conciliorum Coloniensi 1551. p. 85.* motus, ut dicitur, *Hermæ* cujusdam visione, cui apparuit Angelus in Pastoralì habitu, eique præcepit, ut Pascha die Dominicò post Lunam 14. observaretur. Habetur hæc visio etiam in *Jure Canonico, de Consecr. Dist. 3. c. Nosse*, & refertur à *Martino Polono & Guilielmo Durando in Rationali divinorum officiorum Lib. VI. c. 86. fol. 369.* Erravit *Victor Episcopus R.* errarunt quoque alii Pontifices, qui novis Decretis sanxerunt, Pascha necessariò die Dominicò celebrandum esse, & secus sentientes excommunicarunt. Hoc enim non debuit fieri, *quid enim est concordiam Ecclesiasticam turbare si hoc non est?* sunt verba celeberrimi Theologi *J. F. Meyeri, D. & Pastor Hamburg. in Disputat. Select. Disput. VII. Aphor. V. p. m. 237.* quæ hic applicari optimè possunt. Benè propterea *Polycarpus, Johannis Apostoli Discipulus*, Romam veniens, licet cum aliis non conveniret, alios non condemnavit, sed constitutum inter illos est, ut quisque suum in celebrando Paschate morem, observaret, ea tamen lege, ne propter dissimilitudinem in Ceremoniis illis de Paschate, Concordia Ecclesiæ rumpetur, quia *non oportet propter ceremoniarum observantiam, rumpere fidei consonantiam.* Confer. *Euseb. Lib. V. H. E. Nicephorus Lib. XII. c. 33.* Quod verò de Paschatis Festo diximus, idem etiam de reliquis dicendum. *Sapienter admonuerunt Lectorem Apostoli, se neque Evangelicam libertatem*

rem tollere, neque necessitatem conscientis imponere, quia addunt non esse curandum etiamsi erretur in supputando. Inquit *Apologia A. C. Art. de Ecclesia. p. m. 155.*

§. XX. In proclivi jam est colligere, quid respondendum sit ad *questionem III.* quam proponimus: *An necesse sit omnes Christianos uno die celebrare?* Itidem enim negamus quod necesse sit, cum & hoc in Christiana libertate positum; ex §. 9. enim constat, quod illi hoc, illi alio die, Pascha celebrarint, nemo tamen peccarit. Ex quo etiam notum fit, quid illis Christianis agendum, qui *ultra Aequatorem* habitant; illi enim, quando nos post *Aequinoctium Vernum* Pascha celebramus, aut nobiscum Pascha uno die celebrare possunt, in *Aequinoctio autumnali*, aut expectare, donec & ipsi habeant *Aequinoctium Vernum*; quocumque enim die in N. T. Pascha, vel aliud festum celebretur, ritè & rectè celebrabitur. Distinguendum enim est inter *morale*, & *genus festorum*, in N. T. & inter *Ceremoniale*, & *Speciem*. *Genus*, & *morale* est grata beneficiorum recordatio, & pro exhibitis gratiarum actio. *Species*, & *ceremoniale* verò, quod certò die, certo anni tempore, ista gratiarum actio, & recordatio sit instituenda. Illud necessarium est & quovis tempore fieri potest, hoc vero in Christiana libertate positum. Confer. *Hieron. Kromayeri Theolog. Posit. Polem. Artic. XIX. de Ministerio Ecclesiastico Thest IX. p. m. 860.* Optimè verò, eodem monente *Kromayero l. c. p. 861.* notari debet *distinctio inter id, quod liberum est Ecclesiae, & quod liberum est huic, vel illi*, posset enim hâc ratione fortè *Parochus*, propterea, quod *Festa N. T.* quoad speciem habeant liberas observationes, diem Paschatis non celebrare velle cum aliis Ecclesiis, sed quandò sibi visum fuerit, quod illi tamen planè non concedendum.

§. XXII. Cum itaque in *Libertate Christiana* positum esse viderimus festa celebrare, quærimus porro IV. *Quenam Festa celebrare liceat?* Recensuimus §. 18. *Festa Mobilia*, quænam ergò ex his celebranda, quæ non? Non est celebranda. (1.) *Nox Jejunii*, die *Fast-Nacht* (rectius *Fast-Nacht*) quia (1.) per nimiam appetentiam Carnis, & ad fastidium usque ejus comestionem, & ingurgitationem, contra Deum peccatur, deinde (2.) neque ullibi præceptum hoc reperimus, quæ denique (3.) *infantia?* jejunare velle, & tantum à carne abstinere? Non est celebrandus (4.) *Dies Cineris, der Ascher-Mittwoch* / ille enim superstitionem præ se fert,

↑

fert, ac si hic Cinis quoque mundet à peccatis, quemadmodum olim in V. T. cinis ex *Vacca ruffa*. Non celebrandum (3) *Festum Corporis Christi, der Fronleichnamstag*. Illud festum enim ab *Urbano IV.* circa *Annum Christi 1264.* inventum est, ductus ad id, vel *visione* alicujus *Monialis Evæ*, sicut ex *Arnoldo Bostio* ac *Petro Præmonstratiensi* refert *Baleus*, vel *miraculo quodam*, quia valde ignominiosum putat *Onuphrius Panvinius*, in *luis ad Platinam Annotationibus, in Vita Urbani IV. f. 227.* in unius mulierculæ gratiam festum hoc institutum dici. Confer. *Hospinianus de Festis Christianorum fol. 88.* Nam, si illud Festum celebraremus, inquit *B. M. Chemnitius in Exam. Concil. Trident. P. II. c. 5. de Festo Corporis Christi p. 283.* confirmarem mutilationem Eucharistiæ, altera enim tantum species, seu hostia consecrata circumfertur ac ostentatur Populo, in *Monstrantia*, transferremus Sacramentum in longè alium, & diversam, ab institutione Christi, usum. Celebranda itaque *reliqua festa omnia*, quæ §. 18. nominavimus, ex *Christiana* tamen *libertate*, sine præscriptione rituum in iis adhibendorum, nisi qui ex *Ussu Ecclesiæ*, in qua vivitur, fuerint.

§. XXIII. Quærimus V. *Quot diebus festa hæc licita erunt celebranda?* In V. T. Deus expressè præscripsit, quot diebus Festum *Paschatos*, & alia essent celebranda; *Festum Paschatos* oportebat *Judæos* per integrum octiduum celebrare, adeò, ut primus & ultimus in festivitate essent æquales. *Festum Pentecostes* juxta quorundam opinionem itidem per octiduum celebratum fuit, juxta alios tamen, tantum per unum diem. In N. T. in primitiva Ecclesia integri illi dies 50. inter *Pascha* & *Pentecosten* omnes festivi fuerunt. *Majores tradidère nobis, omnes quinquaginta dies Pentecostes, ut Pascha celebrandos, quia octava hebdomadis initium Pentecosten facit*, inquit *Ambrosius in c. XVII. Luca Tom. V. Opp. p. 130.* Confer. *Hieron. Ep. 28. ad Lucinium de Sabbatho & Jejunio Tom. I. Opp. p. 194.* Deinde tempore *Constantini M.* integra *Septimana* festo *Paschatos* destinata fuit, sicut refert *Paulus Diaconus Aquilegiensis Lib. XI. Rerum Romanarum Tom. XIII. Maxim. Biblioth. Patr. p. 251.* quod *Decretum Constantini* confirmavit *Concilium Constantinopolitanum III.* (aliàs *Synodus Trullana ann. 681.*) quod voluit, ut à sancta *Resurrectionis* die, usque ad novam *Dominicam*, tota *septimana* *Ecclesiis fideles vacent*, *Canon. 66. Synodus tamen Moguntina, anno 813.*  
jussu

*jussu Caroli M. Canon. 36.* statuit, ut dies Dominica Paschæ, similiter feria secunda, tertia, & quarta, cum omni honore & sobrietate celebretur. In *Constitutionibus autem ad tollendos abusos in Ecclesia, per Laurentium Campegium 1524. Ratisponæ editis, sancitur Canon. 20,* ut dies Paschæ, cum feria secunda, & tertia, duntaxat celebris habeatur. - *Confer. Hospinian. l. c. fol. 73.* De *Festo Pentecostes* non adeò constat, num olim etiam pluribus, quam unò, diebus celebratum sit. Quoniam ergò Christiani in N. T. & in hoc liberi sunt, *festas suas magna,* (quæ sic nominant *Natalia Christi, Pascha, & Pentecosten*) tribus diebus celebrant, quia in unoquoque horum festorum talia nobis proponuntur beneficia Dei, de quibus pluribus, unò, diebus loqui, & meditari convenit, & hoc sancitum etiam in *Concilio quodam legas, apud Calvinium in Oper. Chronol. ad Ann. Chr. 1094. p. 892.* reliqua saltem ex *Christiana libertate* unum diem celebrant, ut diem *Ascensionis Domini, Festum Trinitatis, & alia.*

§. XXIV. Tandem etiam quærimus VI. *Quibus ritibus Christiani festa sua celebrare debeant?* Quomodò olim festa sua, & quibus ritibus celebrarint Christiani, in hac quæstione quidem non quærimus, juvat tamen ritus illos aliquatenus inspicere; non verò omnium festorum, id enim prolixum foret, sed saltem præcipuorum duorum mobilium, *Paschatos & Pentecostes.* Non solum verò *Pascha* vocatur dies Resurrectionis Dominicæ, sed etiam totum illud tempus, quod est à Dominica in Ramis *Palmarum,* ad octavum Paschæ. Religiosissimè autem hæc Septimana transacta est, dicit enim *Epiphanius Lib. III. Tom. I. hæres. LXXV.* Adversus *Aërium p. 907. Tom. I. opp. Paschatis tempus humi cubando castimoniam servando afflicta etque corpore nec non & aridorum ciborum usu precibus, vigiliis, jejuniis ac reliquis id genus saluberrimis corporis cruciatibus, celebrare solemus.* *Pascha* ipsum simpliciter celebratum est, unde *Athanasius in Epistola ad Dracontium, citante Hospiniano, inquit: In Africanis Ecclesiis, hoc ritu celebratum est Pascha, ut primò conciones de Resurrectione Domini ad cætus collectos habitæ sint postea verò ad Epulas populus confederit inspiciente & præcipiente Episcopo, ut religiosè & ritè epularentur.* H. I. Progressu temporis tamen Pontificii, non solum diem Paschalem, sed & septimanam ante Pascha, variis superstitionis ritibus transegerunt; ipsa *dies Palmarum* multis superstitionis ritibus & processionibus olim celebrata; in *festis Cænæ Dominicæ, sive feria 5. hu-*  
jus

jus Septimanæ, usque ad Pascha, Campanas non pulsarunt, ad declarandum suam tristitiam, excommunicati (& hodiernum adhuc excommunicantur) hoc die Romæ in Missa illi, qui à Romana Ecclesia dissentiunt. *Confer. D. J. F. Mayeri Kriege der H. Ern/p. m. 6.* ubi verba ex Bulla S. Cœnæ refert. *Paschatis* die has superstitiones exercent, vulgus utriusq; sexus hoc die ex opinione meriti communicat, fit statio apud S. Mariam majorem, ante Missam fit processio, eò quod dixerunt Angeli mulieribus: ite, dicite. Discipulis quod *precedat* vos in Galilæam, nihil comedunt, quod non à Sacerdote benedictum. In quibusdam locis, hòc die, ut & Natali Christi, Episcopi, aliique Præsules, cum suis Clericis, aleis ludunt, vel etiam Pilâ. In plurimis quoque Ecclesiis Pontificiorum, ipso hoc die inter concionandum, ad recreationem Auditorum, & risum excitandum, profanæ, & ludicræ proferuntur fabellæ ab ipsis Sacerdotibus. *Feria secunda*, quæ sequitur proximè festum Paschatis multis in regionibus convivia facta, quæ ferè ovis & mellitis quibusdam (*Oster, Eyer und Oster Gladen*) peracta. Eadem die mulieres olim in papatu verberarunt Maritos suos ferulis, & sequenti die Mariti uxores suas, (qui frivolus & inutilis ritus, inverso tamen ordine dierum, non apud conjuges, sed apud quoscunque alios ex fece plebis hodiè adhuc obtinet & germanicè *Schmack, Ostern* dicitur) *confer. Guilielmi Durandi Rationale divinorum Officiorum Lib. VI. c. 86. fol. 369.* Ritus *Pentecostales* Veterum fuerunt (1.) quod 50. dies qui sc. intercedunt inter Pascha & Pentecosten festivitati consecraverint *confer. §. preced. 23.* (2.) Quod inter preces steterint, ex Decreto Concilii Nicæni, can. 20, quanquam Ecclesia Græca, stationem in genuflexionè mutaverit (3.) quod à laboribus cessaverint, non omnibus tamen, sed durioribus, (4.) quod jejunia intermiserint &c. *Confer. Disputatio Historica M. Michaëlis Hoynovii Rectoris Scholæ Læbnicensis merissitimi, Præceptoris quondam fidelissimi, de Festo Pentecostes §. XIII. seq.* Nec minus tamen *Pentecostes* etiam *Festum* superstitionibus fuit celebratum, de quibus *Thomas Nao-georgus Lib. IV. Regnè Papistici* canit:

*In Pentecoste mites, albæque columbæ,  
Funiculis leviter vindæ, mittuntur ab alto,  
Lignea postremo cælo dependet eodem,  
Cernis, ut idolis ludant, doceantque popellum,  
Non secus ac puppis, teneræ assuevère puellæ.*

Mul-

Multis in locis etiam Prussiae nostrae in usu est, ut *Feria tertia Pentecostes*, Cives ex Civitatibus, in globis ad metam jaciendis sese exerceant. Hos tamen, & similes alios, cum partim *superstitiosi* sint, partim *frivoli & futiles*, partim etiam cuique regioni *liberi*, nos non multum curamus; praecipui tamen ritus, qui in utroque festorum observandi sunt, sunt *praedicatio Verbi divini*, & *Dispensatio Sacramentorum*, quibus junguntur *preces & hymni*. Et haec de jucunda & utili hac materia adduxisse sufficiat, B. L. aequum iudicium, vel ex eo capite, nobis promittimus, quoniam cuncta haec scripta sunt in

SOLIUS DEI GLORIAM.


---

## BIGA COROLLARIORUM PARADOXORUM DE FESTIS IMMOBILIBUS.

I. Potest unum idemque *festum*, in unô eodemque annô, ab unô eodemque cœtu, in unô eodemque locô *bis* celebrari.

II. Festum *Annunciationis Mariae* apud nos est *Festum mobile*.

Tantum!



Coll. diss. A. 128, misc. 34